noſtrum augere, ac non infidelibus ipſis efficere deteriores. *Idem.*

Sunt, qui non Dei verbum, ſed concionatoris eloquentiam inquirunt, qui non pietatis, ſed curioſitatis ſpiritu ad concionem audiendam concurrunt, ut elaboratos audiant terminos, nova acumina, elaboratum ſermonem, qui auribus, ac menti placeat, non autem verba, quæ cor moveant, quæ corrigant affectus, ac ad vitæ rationem immutandam impellant. S. Paulus ævi ſui fideles laudabat, eo quod receperant verbum quod illis prædicaverat non tanquam verbum hominum, ſed Dei; quid porro dixiſſet, ſi vidiſſet Dei verbum audiri, non tanquam Dei, ſed tanquam hominis verbum? Næ ille quidem ſæculi ſui calamitatem deploraſſet, ſicut nos noſtri; re enim vera hic inter maximos, & pernicioſiſſimos recenſendus eſt abuſus, qui hodierna die in eccleſia inoleverint; hoc enim eſt irritam facere validiſſimam rationem fovendæ pietatis, atque peccatorum ad officium ſuum revocandorum.

Metuemus diſcere veritatē, quæ Dei verborū nunciatur.

Hominum plerique ſimiles ſunt Pilato ex Salvatore ſciſcitanti, quid eſt, veritas, & prope ſe eamdem habenti veritatem, neque eam intelligenti. Hoc illius malum fuit, hoc noſtrum quoque eſt. Veritatem, ob oculos habemus, neque videmus illam: catervatim ad Dei verbum audiendum confluimus, ſed ubi veritas nobis oſtenditur, quilibet caput demittit, illamque ad proxime adſtantem migrare ſinit. Eam reſpicimus tanquam fulgur, oculos claudentes, ac præ timore contremiſcentes. Cur illam non audimus? Quia nos minime palpat, quia defectus noſtros non diſſimulat, neque abſcondit, quia nos ſuis redarguitionibus pudore ſuffundit, minis terret, probris humiliat & nonniſi de pœnitentia verba facit. *P. Novet in meditationibus ſuis, introductione ad paſſionem.*

Concionator cum S. Hieronymo dicere poſſit, opus eſt; *Neminem ſpeciatim ſermo meus pulſavit, generaliter de vitiis diſputatum eſt.* Sermo meus neminem læſit, de vitio generatim dumtaxat ſermonem inſtitui; dicta nemini applicui, cuilibet ea ſibi applicandi locum reliqui. In id labor, & induſtria collocanda eſt, ut auditorem corrigas, & ædifices, non ut illum rubore ſuffundas. Concionatoris verba ad omnes ſpectare debent, non ſingulis vel præſentibus, vel abſentibus immorari; neminem deſignare debent, niſi ille communem inſtructionem, quæ ad omnes pertinere debet, in detractionis argumentum, & occaſionem velit convertere. *Auct. Anonymus.*

Quo pacto hominū pleriqueDei verbū audiant.

Spiritus ſanctus nos admonet, quomodo homines Dei verbum audiant per hæc verba, quæ Prop. Ezech. dicit: *Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens a domino: veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus.* Ezech. 33. Catervatim in templum ingrediuntur, quaſi ingrederentur, ſed illud ſerio non ingrediuntur, locum capiunt in populi coronam, ſed o Propheta, ne putes illos ibi eſſe; ſi illos blandis vocibus detinere vis, ibi ſunt ſpiritu; ſin vis convertere, non adſunt corde. Hæc verba perpendite: *Veniunt, quaſi ingrediantur*: hoc in templum ingrediuntur, at in ſpeciem dumtaxat adſtant concioni; ibi ſunt corpore, vel ad ſummum etiam ſpiritu: Sed corde ſunt in negotiis ſuis, in rerum ſuarum impedimentis, in ſuarum cupiditatum objectis. Quamobrem Prophetæ eidem loquens Dominus ſequitur: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos*: audiunt illi quidem ea, quæ nomine meo dicis illis, ſed non ideo aliquid agunt; & hæc ratio eſt, Spir. ſanct. concludit: *quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum*; quia veritates æternas ac religionis myſteria audiunt, quaſi canticum audirent; concioni adſtant, quaſi feriæ adſtarent comædiæ, vel profanæ alicui declamationi; & quemadmodum, poſtquam tragediam aliquam ſcenicam repræſentari conſpexerunt, atque laudaverunt, & etiam fortaſſe lacrymulas aliquot commentitiis Heroum, de quibus fabula narrabatur, calamitatibus tribuerunt, abeunt cogitantes acta, tranſactaque omnia, quia illic adſtitere ſolum, ut oblectarentur: ita, poſtquam concionatoris verba audiverunt, illinc abeunt, quin aliquid ultra ſibi faciendum eſſe arbitrentur. *P. Texier in Adventu de impio infelice.*

Veritates, quas concionator populo annunciare debet.

Audite in Ezech. Proph., quomodo Deus ad concionatorem loquatur. Niſi audacter dixeris impio, quod ex ore meo didiciſti; quid autem? Numquid divinitatis magnalia, atque altiſſima Theologiæ myſteria? Haud ita ſane; hæc a te docenda non ſunt, neque enim ex ore meo hæc didiciſti; ſed viam, quam populus ſequitur, viam eſſe, quæ illum ad æternam mortem adducit, & niſi illum urgere perrexeris, ut ſerio convertatur, pars tua erit infernus: *Si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via ſua impia, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 3. Niſi hoc pacto prædicaveris, impius quidem morietur, & damnabitur. tu vero, concionator, muneri tuo functus non eris, Scias futurum, ut ego tibi ſuccenſeam, & ex te rationem exquiram ſanguinis ejus, & ſalutis animæ illius. *Idem.*

Concionatores jure contra ſæculi vitia invehuntur.

Cur hæc auditur de zelo concionatorum querela? Quomodo tacere poſſunt ea videntes ſcelera, quæ committuntur in mundo? O Deus! quid hoc eſt? Nonne omnia veteris religionis veſtigia fere deleta, & obliterata videmus; nonne corruptionem dumtaxat intuemur in familiis, intemperantiam in adoleſcentia, infidelitatem in mercatura, dolos, & ambages in foro, in popello vero libidinem, effrænemque licentiam? Impietas ipſa, atque morum licentia tanquam vis ſpiritus traducitur, perjuria, & blaſphemiæ tanquam ſermonis ornamenta; jugis aleæ furor honeſta occupatio; perſonata ſimonia, ac profanatio bonorum J. C. legitima poſſeſſio: verbo, nequiſſima flagitia virtutis pallio teguntur, & poſt hæc cum Propheta quæritur: *Quid clamas?* Ubique videmus Deum contemptum, & læſum a creaturis ſuis, Salvatoris ſanguinem conculcatum: videmus animas chriſtianas catervatim in perditionis viam feſtinare, ac ſe ſe in infernum præcipites dare; poſt hæc mirum eſſe debet, ſi clamamus, ſi invehitur? *Quid clamas?* Zelum habere poſſumus, & tacere? *Idem.*

Contra auditores, qui pati nequeūt evangelicas veritates prædicari.

Loquor de illis, quos Apoſt. ad Tim. 1. c. 4. prædixerat futurum, ut ſanam ferre non poſſent doctrinam, neque morum diſciplinam evangelicæ innixam ſeveritati: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* De illis, qui volunt ſibi ſubtilia, & curioſa narrari, qui fabulas audire malunt eleganti ſermone exornatas, quam ipſas puras evangelicas veritates: *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Corruptionum horum auditorum intentio contraria eſt ideæ, quam de verbo Dei habemus, hæc Deo contumelioſa eſt, concionatori turpis, & auditori periculoſa.

Dei verbum ſervandum eſt, ac inde fructus percipiendus.

Divinum hoc verbum beatæ Virginis exemplo ſervandum eſt: *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*; quæ res in hoc poſita eſt ut intrinſecus illud mediteris, ac temet eodem nutrias, non per inanes, ſterileſque ſpeculationes, ſed per ſenſus, & affectiones cordis. Cum mens tantummodo veritati vacat, quamprimum fatigatur; ſtatim mutare velut objectum, & prima objecta facile ſubſequentibus obliterantur. Sed cum impreſſio, quam veritas fecit in corde, animam applicat illi, hæc haud ægre eidem inhæret. Impreſſio hæc non ſinit, illam inde divelli; hæc eamdem centies ſine tædio, ac nauſea ſecum reputat, ſemper enim lætitia afficitur id cogitans, quod amat: *Conferens in corde ſuo*... Male recepit verbum, qui huic aditum quidem præbet in aures, & mentem, ſed excludit a corde, ſive illud abſolute excludat, ſive illi abſolute neget imperium ſinens ſibi dominari dæmonis verbum; hoc eſt, objecta, quæ ille proponit. Æquum profecto eſt, cum Deus incomparabili hoc nos honore dignetur in nos verbo ſuo ingredi volens, nos efficere, ut regnet in nobis, & verbo hoc nobis ſit lex, regula, & lumen. Hoc autem non accidit, ubi cor dominanti aliquo affectu occupatur, ac alteri cuipiam inhærere objecto, quod præfert Deo. *Eſſais de morale tom. 5.*

Quomodo verbum Dei male recipitur.

Divinum hoc verbum male recipitur, cum poſtquam illud recepimus in corde noſtro creſcere ſinimus turbam curarum, atque ſpinarum, quæ impedimento ſunt, ne illud creſcat, atque fructum adferat, ſed illud paulatim exſiccant, & ſuffocant. Potiſſimum vero male recipitur, cum eodem abutimur, & quadam mercaturæ ſpecie prorſus terribili, illud ad propriam gloriam, atque utilitatem referimus.... Homo nequaquam nutritur, cum nutrimentum in ſtomacho immoratur, ſed tunc cum omnibus corporis partibus unitur, commiſcetur.... Dei verbum animam non nutrit, niſi illius motibus, actionibuſque omnibus conjungitur, earumque regula, & lumen eſt, quemadmodum actionum Davidis erat. Illud cum manſuetudine recipiendum eſt, S. Jacobus cap. 1. inquit: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum*; hoc eſt, ſine oppoſitione, ſine renitentia, & cum perfecta docilitate. Tunc enim nos alit; ſpiritualem vitam fovet, nobiſque vires confert, quibus noſmet regere; ac tueri valeamus. *Ibidem.*

De concionatoribus qui pravo ſunt exemplo.

Id genus homines Phariſæis, veteriſque legis doctoribus ſimiles ſunt. Si religionis veritates in mentibus eorum vigent, atque ſubſunt, non vigent pro illis, ſed pro aliquibus electis, qui eorum opera erudiendi

ſunt, & qui eſſe debent Fidei, non vitæ illorum imitatores. Similes ſunt æquis baptiſmi, quæ animas ab earum ſordibus eluunt, corporum corruptionem contrahentes; veritatem harum ſequeſtres ſunt pro aliena quidem ſalute; propria vero reprobatione. Homines ſunt, qui eam retinent ſententiam, qua æternis adjudicandi erunt ſuppliciis, & tantum abeſt, quod hæ veritates illi auxilium, opemque afferant, eorumque converſionem faciliorem efficiant, ut propter abuſum earum, qui ab illis fit, ejuſdem fiant impedimenta. Veritates, quæ alios maxime afficere poſſunt, in illis modicum virtutis habent & virium, & quodammodo æruginem induerunt: cor illorum per conſuetudinem ſenſum omnem amiſit, vel potius ipſi eas prædicantes ſuo ſe ore judicant, & damnant. *Idem.*

Concionatoris verbum mentem illuminare debet, & inflāmare cor.

Concionatoris verbum non intellectum dumtaxat illuſtrare debet, ſed divini etiam amoris ignem in cordibus accedere, ad illa expianda juxta ea Regii Pſaltis verba: *Eloquium Domini inflammavit eum.* Pſ. 104. Divinum hoc eloquium, idem addit Propheta, in corda peccatoris abſumit, quidquid ibi carnale, & corruptum eſt, ac illud divellit ab eo, quod illic terrenum eſt, ut unice adhæreat Deo: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud.* Pſ. 118. Qui Dei verbum annuntiat, Propheta Jeremias inquit, ſimul ac mentes erudit, ignem etiam in omnia corda effudit. Ideoque Spiritus ſanctus in Apoſtolus deſcendit ſub ignearum linguarum ſpecie, ut intelligerent, S. Bernardus ait, corda ab illis eſſe inflammanda. *Specimen ſermonum.*

Conſiderationis defectus cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur.

Hæc vera cauſa eſt modici fructus, quem divinum hoc refertum verbum. Gratia, quæ illud comitatur, ſemen eſt virtutis, & converſionis peccator illam recipit, ejuſque ſentit impreſſionem, verum eſt; ſed illi tempus non permittit radices jacendi, atque cordis poſſeſſionem adeundi. Ubi concio abſoluta eſt, jam vertatur officiis, jam ad profana colloquia reditur. Ubi ex exemplo pes fuerit elatus, jam ſe ſe quilibet ſocietatibus immiſcet, jam ultro citroque viſitationes recepit, ac reddit, ad conſueta ſolatia, vel negotia revertitur; affectus, ad concionis vi ſemiſopitus, fuerat, ad objecti ſui adſpectum expergiſcitur. Ita concio, & motus omnes? quos illa in anima pepererat, quin aliquem effectum adferant, evaneſcunt. Hæc potiſſima cauſa eſt; propter quam Dei verbum ſit inutile. Si peccator divinum hoc ſemel recipiens ſe ſe non objeciſſet tot obſtaculi, & impedimentis, ſeſe collegiſſet, ſi a mundo ſeceſſiſſet, facile illecebras, motuſque illius ſecutus fuiſſet: ſerio vitæ ſuæ rationem ad examen vocaſſet; ac deplorabilem conſcientiæ ſuæ ſtatum excuſſiſſet; iniiſſet conſilia hominibus ſuis congrua; rationem excogitaſſet; qua eadem efficacia efficere poſſet, & hoc pacto gratias cordis illius dominationem obtinuiſſet, potuiſſetque ejus converſionem petere. *P. Gegou, libro de receſſu.*

Quem fructū Dei verbum ſere valeat.

Cum increatum verbum præcipua ſit cauſa eorum omnium, quæ in ordine naturæ facta ſunt, verbum prædicationis eſt cauſa inſtrumentalis eorum, quæ fiunt in ordine gratiæ. Quot pravæ conſuetudines per illud deletæ ſunt; Quot uſus pernicioſi ſublati? Quot populis illud fidem inſpiravit? Quot corda extulit ad æterna bona nauſea, ac ſincero contemptu eorum quæ fluxa ſunt, & peritura? Si hodierna die eaſdem non operatur converſiones, non igitur dicendum eſt, vires illi deeſſe, ſed immo potius, uti opus eſt, non audiri. *Ex morali dictionario in conſiderationibus de verbo Dei.*

Ille eligēdus eſt concionator, qui nos magis moveat.

Prædicationibus idem accidit, quod eſcis, quibus veſcimur. Cibus generalium bonus eſt, ſed hic uni erit utilis, qui alteri noxius; cumque Deus vobis guſtum conceſſerit, vobis etiam integram reliquit ciborum optionem: & ſimulac videtis aliquid alimenti genui in vobis neque colorem, neque ſuccum producere, ſtatim vobis ſalutare nequaquam eſſe intelligitis. Hoc ipſum de concionatoribus dicendum eſt; attendite, quinam vos magis moveat, atque hunc ex aliorum numero eligite..... Si ſecundum Deum judicium ferre velletis, eos tantum eligeretis, quos ſaluti veſtræ utiles cognoſceretis; tandem enim velle opus eſt res pro iis finibus, pro quibus inſtitutæ fuerunt. Sed verbum Dei factum eſt, ut vos ſanctificaret; inſignis ergo eſſet imprudentiæ illud propter alium aliquem finem eligere. Si medicum eligerem, quia diſertus, & eloquens eſt, me omnes exſibilarent: ille mihi eligendus eſt, quem ſcio præ reliquis melius meum noſſe temperamentum, & quem in arte conſultiſſimum cenſeo. Si igitur concionatorem invenio in me conſcientiæ ſtimulos excitantem, & de corde meo vitium auferentem, hic ille eſt, quem mihi Dominus miſit, hic meus eſt Ananias, licet alioquin nullas habeat veneres, nullam vocis, aut geſtus elegantiam, huic hærebo, neque illum dimittam. Alius tamen mihi magis placeret. Si huic movendi virtus eſt; eſto fac quod lubet, hunc elige; verum ſi alius majorem habet vim, ut te moveat, hic tibi eligendus; & qui ſecus fecerit, de ſanæ mentis uſu dejectus omnem ſalutis ſuæ curam abjeciſſe exiſtimandus eſt. *In ſermonibus, qui Patri Bourdalove attribuuntur.*

Divini verbi ſterilitas ex ipſo non oritur, ſed ex vitio illud audientium.

Quæro, unde nam hæc oriri poſſit divini verbi ſterilitas? Nunquid ex ipſo Dei verbo? an ex concionatoribus illud prædicantibus? an denique ex illud audientibus? Omnino enim opus eſt, uni ex tribus hiſce cauſis hoc vitium referri. Dei ipſius verbum inſimulare eſſet injuſtitia; neque enim hodie minus potens eſt, quam fuerit olim tempore Apoſtolorum. Idem prædicamus evangelium, quo S. Petrus uno in ſermone tria auditorum millia convertit; & cum Spiritus ſanctus viſibili ſpecie dilapſus eſt ſuper eos, qui Dei verbum audiebant, quemadmodum narrat S. Lucas, illud profecto non aliud erat verbum ab eo, quod prædicamus. Quid igitur? Nunquid concionatores hujus mali ſunt cauſa? Scio equidem, S. Paulus ait, Dei veritatem in injuſtitia detineri poſſe: ſcio, ex S. Chryſoſtomi ſententia, in captivitate etiam poſſe teneri, cum e contra primis eccleſiæ ſæculis libera eſſet, cum ipſi concionatores in vincula detrudebantur. Scio, non deeſſe, qui pravo exemplo Dei verbum dedecorant: ſed tandem aliquando errorem hunc abjiciamus, Auditores: Divini verbi fructus concionatorum meritis, & ſanctitati non adhæret, hoc operatur per ſe, non ſecus ac legis gratiæ ſacramenta; immo eræ ſacramentis hac in re præſtat, quod ut illa, a miniſtrorum intentione non pende? Poſſunt quidem concionatores concionando ſe ipſos prævertere, ſed ſemet prævertentes non ideo minus alios, convertunt. *Id.*

Theologicum principium eſt, cum Deus fidelibus exteriora præbet ſuæ ſalutis ſubſidia vel generatim, vel particulariter, illis ſimul interiores ſuppeditate gratias exterioribus hiſce adminiculis reſpondentis, quæ illos animent, & confirment, niſi earum effectus ab hominibus prohibeatur. Ex illis autem auxiliis, quæ Deus extrinſecus tradit hominibus, ut ſalutem ſuam operari, & pœnitentiam agere poſſint, eſt verbi ſui prædicatio: ſed eodem tempore, quo illis hoc exterius præbet adminiculum, intrinſecus etiam ſecretis afflatibus concionatoris voci reſpondentibus eos movet: ita ut ſi hic in auditorum auribus loquitur, illi in eorum mentibus, animiſque ejus imprimant dicta; & ut loquitur S. Auguſtinus, ſi qui extrinſecus vitia reprehendit, ſuum habet in templo ſuggeſtum, ille, qui cor movet, in cœlis habet ſuum: *Cathedram habet in cælo, qui corda movet.* Ubi ergo concionem audis, duplicem tibi finge concionatorem tecum, licet diverſo modo loquentem; alterum quidem viſibilem cujus vox tua aures percellit, inviſibilem alterum, qui loquitur ad cor. Hinc ſequitur, prædicationis tempus acceptabilem eſſe occaſionem ad Dei gratias, & auxilia promerenda; ille enim præſto eſt, ut hæc illis concedat, qui communibus utuntur adminiculis, quæ ipſius adhibet providentia, ut hominum converſionem, & ſalutem operetur: præterquamquod reverentia, & obſequium, quod fidelis Dei adhibet verbo, meretur, quod Deus hoc in ipſo potens, & efficax reddat. *Idem.*

Cū aſſiduitate, & fructu Dei verbum audire nota eſt prædeſtinationis.

Dei verbum audire, atque inde fructum percipere ſignum eſt, & character prædeſtinationis quemadmodum docent Theologi his Salvatoris verbis innixi: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Joann. 8. Ratio eſt, quia noſtra gratiæ cooperatio proculdubio tutiſſima, & unica via eſt, qua ipſi; quantum in nobis eſt, ad prædeſtinationem pervenire valeamus. Homo autem nunquam magis ad cooperandum gratiæ, ac ſe ſe dignum, qui illam recipiat, præbendum excitatur, quam cum Dei verbum audit: Deus enim interiorem vocem ſuam cum exteriori concionatoris voce conjungit, quæ illum urget, ac ſollicitat, ut ſe ſe dedat, & ex duabus hiſce vocibus, ut ita dicam, totale ſit, abſolutumque ſuæ converſionis adminiculum. Sed e contra inde etiam inferendum eſt, probationis eſſe notam non audire Dei verbum, vel illud oſcitanter, & ſine reverentia audire, hoc enim pacto noſmet indignos præbemus iis gratiis, quas in hujuſmodi occaſionibus tribuit Deus, neque utimur medio omnium vulgatiſſimo, quod ad hominum ſalutem Deus ipſe conſtituit. Contra hujuſmodi negligentes chriſtianos adhibenda ſunt evangelii verba: *Vos non auditis; quia ex Deo non eſtis.* Deus nobis loqui vult, ut vel minis nos terreat, vel promiſſis alliciat; ſi vocem illius audire non vultis, neque metus inerit vobis judiciorum ejus, nec voluntas legibus illius ſatisfaciendo: quomodo igitur hoc in ſtatu ſalutem

veſtram operabimini ? & quæ ratio vobis perſuadere poterit, vos in prædeſtinatorum albo recenſeri ? *Idem*.

Unde divini verbi vis, & virtus oriatur.

Cum Dei verbum ita ſit efficax, ut in Bibliis, modo ſagittæ acutæ, modo gladio ancipiti, modo igni ardenti, ac brevi comburenti comparetur: quærunt Theologi, undenam hæc vis, & virtus oriatur: atque triplici ex cauſa oriri reſpondent; 1. ex actualibus gratiis, quæ illam comitantur, & ex Spiritu ſancti auxilio, quoniam eodem tempore, quo exterior concionatoris vox aurem corporis pulſat, non deeſt altera interior vox cordis, & hæc illa eſt, quæ ipſas Libani cedros poteſt confringere. 2. Vis hæc, & efficacia procedit ex ipſa verbi hujus natura, quod validas continet rationes, quæ fortiſſima etiam perrumpere poteſt vincula, quibus terrenis bonis adhæremus, nec non ſæviſſima corda flectere. Enim vero nobis ob oculos ponit maxime terribiles veritates, quæ in nobis impreſſionem efficere poſſunt, & promiſſiones, quæ cor noſtrum poſſunt allicere, atque palpare; judicium, infernum, paradiſum &c. 3. Ex Dei conſilio, qui evangelii ſui prædicationem inſtituit, ut homines ad ſuam pertraheret ſervitutem, & qui illam tanquam aptum huic fini inſtrumentum profuit. *Idem*.

Divini verbi fructus, & utilitas.

S. Paulus in epiſtola ad Timotheum quatuor præcipue diſtinguit divini verbi utilitates, ac totidem bona, quæ inde recipimus, cum ait, ſcripturam omnem, quæ a Deo inſpirata fuit, & quæ debet annunciari, utilem eſſe. 1. *Ad docendum*; 2. *ad arguendum, & corrigendum* vitia; 3. ad erudiendum in *Juſtitia*, hoc eſt ad animam ad pietatem, juſtitiamque formandam, utilem demum ad hominem perficiendum, atque ad omnibus bonorum operum generibus diſponendum. *Ut ſit homo Dei perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus. Idem*.

Qui in hominibus per verbum ſuũ Deus operetur.

Ut nos ſalvos faceret, verbum æternum caro factum eſt; ſed per verbum temporale ſalutem noſtram operatum eſt; *Verba mea*, inquit ille Act. 13. *Spiritus, & vita ſunt*. Ita & S. Paulus Dei verbum, *Verbum ſalutis* appellat. Venit Jeſus Chriſtus, ut mediatoris mune e fungeretur, noſque Patri reconciliaret; ſed nos per verbum ſuum reconciliat; ideoque S. Paulus idem illud verbum vocat reconciliationis. Sine fide ſalvi eſſe non poſſumus; ſed per verbum Dei fides oritur in cordibus noſtris. Gratia neceſſarium eſt ad ſalutem inſtrumentum, ſed ſecundum communem providentiæ rationem Deus huic verbo gratiam juſtificationis adnectit. Verbum interius, quod gratia eſt, ut plurimum exterius verbum concomitatur. Niſi Magdalena JESU CHRISTI verbum audiviſſet, in ſcelere ſuo conſenuiſſet. Deus Auguſtini converſionem Ambroſii prædicationi alligaverat; veſtra alligatane huic ſermoni, quem negligitis ? *P. Nepveu Tomo* 4. *Chriſtianarum conſiderationum*.

Ex Dei verbo fructus percipiẽdus eſt.

Non ſatis eſt Dei verbum bene audire, ex eo proficere opus eſt: divinum hoc ſemen ipſe Dei filius effundit in cordibus noſtris, ut centuplum ferat. Væ latis viis, hoc eſt, diſſipatis animabus, in quibus ſemen non germinat. Væ aridis agris humorem non habentibus, hoc eſt mobilibus cordibus, quæ dies eadem videt bona abjicere conſilia, quæ Dei verbum in illis formaverat! Væ agris ſentibus, ſpiniſque repletis, quæ ſemen patris familias ſuffocant, hoc eſt cordibus nimis terræ hujus bonis adhæreſcentibus, vel ſexcentis ineptiis impeditis, propter quas ſalutis negotium negligunt. Verbum hoc vos judicabit, niſi fructum inde perceperitis. *Idem*.

Licet aliquãdo ſeſe variis auditorũ guſtibus aptare.

Hos acres, violentoſque motus, vehementeſque invectivas contra mundi flagitia auctoritas evangelici miniſterii concionatoribus non permittit; hæc magnifica ſchemata, nitidique ſermones qui paſſim hominum admirationem conciliant, converſiones non operantur. In hominum ingeniis diverſa ſunt lumina, aditus diverſi, diverſique guſtus, quod in illis infinitam judiciorum diverſitatem producit; quamobrem infinita rationum varietate ducti vel alliciuntur, vel rejiciuntur. Utrum in hoc plus ſit imaginationis, quam rationis, nihil intereſt; rationis, & charitatis eſt ſe ſe hominem ingeniis accommodare, & aliquid tribuere huic imbecillitati, cui nulla eſſe poteſt medicina. *Eſſais de morale Tomo 5.*

Apoſtoli, poſtquam Spiritum ſanctum receperunt, in publicum prodiere; hi non erant homines, qui ſuos tantum conceptus enunciarent; ſed Deus ipſe has veritates annunciabat per miniſtros, eorumque verba manifeſtis potentiæ ſuæ comitabatur indiciis. Cæleſtes erant homines terrenarum rerum omnium affectionibus expediti, quorum vita æque ſancta erat, ac doctrina. Non deſunt plurimi, qui illa ipſa prædicent, quæ illi, ſed longe diſpari eventu, quoniam prædicationem horum Dei ſpiritus non comitatur. Horum concionatorum mores, & affectus cognoſcuntur, & mundus de illis nihil niſi humanum loquitur, & quod redoleat cupiditatem: nihil, quod terram non ſapiat, & quod carnem, & ſanguinem non præſeferat: patet, quid velint, & cupiant, & rumor hic, qui illos præcedit, nequaquam homines ad vitam prorſus immutandam diſponit. *Ibid.*

De linguis igneis, quæ ſuper Apoſtolos apparuerunt.

Aliud quoque fuit viſibile ſignum Spiritus ſancti in Apoſtolos deſcendentis igneæ videlicet linguæ, quæ ſuper eorum ſingulos quieverunt, qui erant congregati, & quæ illos interno repleverunt ardore, qui in cor, linguam, & verba illorum ſe effudit. Corda iſta flagrantia nonniſi inflammata habebant verba, aptiſſima ad ignem in aliis cordibus accendendum, quæ a Deo intrinſecus præparabantur, ut illum reciperent. Ad ignem quippe accendendum duo paſſim requiruntur, materia ad ignem concipiendum apta, & ignis, qui illam accendat. Deus quidem præparat corda, ſed vulgo utitur inflammato concionatorum verbo, ut palam illis applicet ignem. Hæc communis eſt via converſionis animarum, & hinc liquet etiam, cur nunc temporis adeo infrequentes converſiones videantur: quia videlicet paucæ ſunt igneæ linguæ inflammandis cordibus aptæ: pleræque enim frigidæ ſunt, quæ hominibus nonniſi eloquentiæ prorſus humanæ inania ornamenta præſentant ſine calore, & ſine vi; lumina ſunt ſine ardore: neque enim credendum eſt, eos concionatores, qui magis violenti ſunt, & qui præ reliquis magis agitantur, hos eſſe ad corda inflammanda magis accommodatos. *Ibidem*.

Fideliũ plerique Dei verbum faſtidiunt.

Conciones, quæ habentur ad explananda, & elucidanda religionis noſtræ myſteria, non placent: eaſque faſtidiunt homines, ubi ſimplicem tantum evangelii audiunt enarrationem. Nonne videtur etiam Chriſtiani aures offendere, qui de myſterio ea die recurrente loqui velit? Inde ignava hæc miniſtrorum indulgentia populorum guſtui ſe ſe accommodantium; inde fulgida illa ornamenta, quæ evangelium deformant potius, quam explicent, & miſeras inverſiones hiſce diebus videmus, quo magis auditorem tædet audire ſermonem incomptum, ac ſimplicem, eo magis miniſtrum ſibimet exprobrare ignorantiam, quod non ſatis eleganter concionem fuerit elucubratus, ut laudes, plauſuſque mereretur. Sed ignava hæc indulgentia turpi eum confuſione debet ſuffundere; nam cum dicendum eſſet, qualis miniſter, talis eſt populus, nunc dicitur, qualis populus, talis miniſter. *Sermo manuſcriptus de magnalibus Jeſu.*

Concionator adniti debet, ut moveat auditores.

Accidit crebro, ut donec auditoris mens voluptate uſque ad admirationem profunditur, cor illius exareſcat: unde hoc ? Quia concionator ad cor non loquitur; loquitur ſolum rationi, totuſque eſt in explanandis, explicandis, atque in varios ſenſus offerendis, atque ex omni facie oſtendendis iiſdem argumentis. Hæc quidem bona ſunt omnia, ſed cordis nulla habetur ratio; & mirum eſt, ſi non moveatur ? . . . . Sermo expreſſio eſt ſenſuum æque, ac cogitationum; cogitationibus ſermone explicitis ex oratoris mente in mentem auditoris migrantibus, ſenſus, qui in concionatoris corde inveniuntur, ſimiliter in cor audientium non tranſibunt ? concionator totam poteſtatem ſuam ignorat, immo potiſſimam illius partem ignorat, cum putat ſe docere tantum poſſe; imprimere poteſt in corde ſenſus, quos vult; hoc poteſt, ſaltem id conari debet . . . . Non verborum tantum ornatus, quam affectuum vis magnam, ſublimemque eloquentiam diſtinguit, hæc proprio veluti impetu fertur; & uti S. Auguſtinus inquit, ſi in rapido ejus curſu ornatus aliquos invenit, hos ſecum trahit potius vi rerum illarum, quas dicit, quam cura ſe ſe iiſdem ornandi. Verba ſua non curioſæ, & exquiſitæ debet electioni, ſed ardori, atque igni, quo rapitur. *Liber, cui titulus: Bonus eloquentiæ Chriſtianæ guſtus.*

Diſerti, eruditique concionatores quærũtur, & qui chriſtianas veritates prædicat, relinquuntur.

Inter Chriſtianos videmus, ſi diſertus aliquis, eruditusque concionator inveniatur, qui vividos habeat conceptus, magnificos loquendi modos, ſublimes ſententias, qui, quod dicit, eleganti verborum effert circuitu, & qui eloquentiæ ſuæ illecebris animos allicit, omnes hunc ſequi, & illi plaudere. Verum ſi vir Apoſtolicus magnas religionis noſtræ veritates prædicet, ſi de inferno, ejuſque ſuppliciis loquatur, deque diſtricto judicio, quo ad trutinam tota vitæ noſtræ ratio erit vocanda, diſceptet; ſi vitia corripiat, ſi contra magnatum impietatem invehatur, ſi contra judicium corruptionem, contra eos, qui opprimunt pauperes, contra divitum ſuperbiam, atque mollitiem declamet; ſi mulierum luxum, atque immodeſtiam damnet; ſi ſpectacula, ludos, ac periculoſas ſocietates improbet; ſi æternam minitetur damnationem illis, qui tepidam, mollem, inutilemque vitam tradu-

cunt,

cunt, qui ſibi licere volunt fanda, infandaque omnia; ſi inveniatur, inquam, concionator, qui magna vi, & zelo contra ſæculi flagitia, & mundi inſtituta prædicet, contemnitur, derelinquitur, non auditur. Hic priſci temporis, ajunt, concionator eſt; homo violentus, ac furens; rebus in omnibus vim facit veritati, eamdem plus æquo amplificans. *P. Craſſet Tomo 1. de fide victrici.*

Dei verbum communis eſt ratio, qua ad ſalvãdos homines utitur Deus.

Divinum hoc verbum ratio eſt, qua vulgo ad ſalvandos homines Deus utitur. Si huic aditum in corda noſtra intercludimus, periculum eſt, ne per aliam partem non ingrediatur. Dico etiam a fide abhorrere, quod qui Dei verbum audire detrectat, vel qui illud, uti decet, non audit, hac via ſe ipſum non ſalvans alia quapiam ſalvari poſſit. Evangelicus dives in terras redire petit fratres ad pœnitentiam cruciatuum ſuorum exemplo cohortaturus. Quam potens eſt ſalutis occaſio videre hominem damnatum de inferni ſuppliciis agentem! Verumtamen rationem hanc adhiberi Deus vetat: *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos*. Luc. 16. Ita illos ad verbum ſuum remittit; ſed addit, ſi illi voces has non audiverint, manifeſto eſſe indicio eos, licet mortuos reſurgere, vel damnatos ab inferno reverti viderent, his miraculis non credituros. Ita, Chriſtiani, Dei verbum audire debemus, ac illud ac mente audire, ut inde fructum percipiamus: hoc medium eſt, quod Deus ad prædeſtinationem, ſalutemque noſtram inſtituit. *Bireat in ſermonibus, quos ſeorſim edidit pro aliquibus anni dominicis.*

Quid concionatores hodie modicum referant fructũ.

Quid duodecim egeni piſcatores facere non potuerunt ? Mundum omnem converterunt, cum interim tantus concionatorum, doctorum, & eloquentium numerus in tot terræ locis adeo exiguum ſermonibus ſuis afferant fructum; & ratio ſane eſt, quia plures quidem concionatores nimis humanis confidunt ſubſidiis, auditores vero nimis naturales eorum qualitates ſuſpiciunt. Si de concionatore ſermo eſt, ejus ſermonis puritas, ſtyli elegantia, ſenſuum majeſtas laudatur; hæc habentur in pretio, pauci conſiderant, utrum Dei ſpiritu loquantur, utrum concionatores bene imbuti ſint J. C. præceptis, & utrum eidem adhæreant, ſæcularibus quidem curis expediti, divinarum vero virtutum ejus amore ſuccenſi. In ſermonibus, qui audiuntur, homo tantum perpenditur, ſancta illius doctrina non recipitur tanquam a Deo profecta, vel ab hominibus Dei ſpiritu impuris, uti illam Theſſalonicenſes Chriſtiani receperunt, quibus ſcribit Apoſtolus Inceſſanter gratias agimus Deo, quod cum audieritis Dei verbum, quod prædicavimus vobis, nequaquam recipiſtis illud tamquam verbum hominum, ſed tamquam verbum Dei, quale re ipſa eſt. Hoc homines non meditantur, neque ſervant in cordibus ſuis. *Boudon in lib. cui titulus*. Le Chretien inconnu.

Dei verbum nullam in divitum cordibus efficit impreſſionẽ.

Divitum corda ſimilia ſunt ſtratis viis, lapidoſis locis, agris ſpinarum turba impeditis, ubi divini verbi ſemen nullum poteſt fructum afferre: etenim in via, quæ indeſinenter prætereuntium pedibus teritur, viatores ſemen, quod jacitur, calcant; hoc inter lapides radicem figere nequit; atque brevi inter ſpinas ſuffocatur. Si quando accidit, hominem mundi opibus, & negotiis impeditum audire verbum Dei, hoc ſemper ſine fructu accidit. Cum in mente illius infinitæ abeant, redeantque, non ſecus ac per ſtratam viam, cogitationes; illæ, quæ pertinent ad Deum, quibus nunquam advertit animus, ſtatim delentur. Hæ locum non inveniunt in corde, quod jam adeo repletum eſt, ideoque patent avibus cœli, hoc eſt dæmonibus, qui ex anima noſtra auferunt omne bonum, quod ſerio meditari, & ſedulo exercere detrectamus. *De Sancta Martha Tomo 2. tractatuum aſceticorum, tractatu de eleemoſynæ erogandæ obligatione.*

Quænã qualitas conſideranda ſit in concionatoribus Dei verbum nunciantibus.

Concionator quid aliud eſt, quam vox de cœlo demiſſa, quam apoſtolicæ miſſionis ordo reſonare facit in templis, atque in ipſas populorum aures infert ad converſionem illorum? Id illi ſunt omnes, qui in miniſterio adeo auguſto exercentur; & auditores nonniſi hoc ſpiritu illos intueri deberent, quin in aliis majorem elegantiam, in aliis eloquentiam, in his eruditionem, in illis ſimplicitatem requirerent; Heu! quid ad te, dummodo evangelium tibi nuncietur ? Nunquid prædicamus, atque audimur, ut totus laborum noſtrorum fructus, vel in laudes inanes, vel in improbas abeat cenſuras? Ratio vobis reddenda erit Deo concionum omnium, quas auditis, quemadmodum nobis de illis, quas habemus; atque utrique totis artubus contremiſcere debemus ſub pondere verbi Dei, quod ſine fructu pronunciatur, & auditur. Infirma oraculorum æternorum, quæ nobis concredita ſunt, inſtrumenta eorum ſanctitatem ſemper imminuimus, dum ea per os noſtrum traducuntur; cum grave nobis incumbat onus vos vitæ noſtræ exemplo ædificandi; dum verbis docemus, in ſingulas horas tanti miniſterii pondus ſentimus: cum ſciamus, mediocria etiam ingenia ſecum ferre neceſſitatem aliquando tandem terribilem in judicio Dei rationem reddendi, majorem noſmet humiliandi, quam nobiſmet ob Dei dona plaudendi nanciſcimur occaſionem, jugiter metuentes, ne ſimus ex calamitoſorum opificum numero, qui mercedem ſuam, ut J. C. inquit, in hoc modo recipiunt. *Abbas du Jarry ſermone de annunciatione.*

Divini verbi elogiũ, ejuſque effectus.

O Domine! Divinum verbum tuum te incipit in animabus formare. Verbo creationis noſtræ opus perfeciſti; & verbo eodem noſtræ redemptionis opus abſolviſti. Hoc illud verbum eſt, quod pretioſum continet ſemen, & germen divinæ generationis noſtræ, ad quam deſtinati ſumus. Fac igitur, Domine, ut ſanctum hoc verbum in nobis terras præparatas inveniens ferat fructus, quos optas. Imaginem tuam incœpiſti nos creans, illam reparaſti, cum nos redimens peccatum deleſti: perfice opus tuum nos ſanctificans, nobiſque gratiam largire illud tecum, ac per te adimplendi.... Extremam adhibe curam, manumque admove his incarnati Verbi imaginibus, quas ipſe in limo delineat. *Idem*.

De concionatoribus, qui Dei verbum corrumpunt.

Equidem ſcio, ubi Dei verbum alia mente nunciatur, quam ſalutis animarum, & gloriæ Dei, hoc vitium eſſe concionatorum, in quos animadvertet Deus, propter ſui verbi abuſum, quibus eas dirigit minas, quas ſuo intentat Prophetæ, & ex quibus rationem exiget ſanguinis, & ſalutis auditorum, qui converſi non fuerint, eo quod hoc verbum illis male fuerit nuntiatum: *Sanguinem eorum de manibus tuis requiram*. Ezech. 3. Verum Deus ſæpe utitur prædicatorum peccatis, ut peccata puniat auditorum. Vos abuſi eſtis verbo meo, cum a fidelibus miniſtris meis nuntiaretur, patiar hoc poni in ore infidelium prædicatorum, & tanquam mortuum, languidumque ad aures veſtras pervenire. Audiiſtis verbum meum tanquam verbum hominis ex curioſitate, vel alia qualibet ex cauſa, quam ut ad ſalutem veſtram inde fructum perciperetis: cum ad Dei verbum audiendum acceſſeritis, hominis tantum verbum audietis. Enim vero quemadmodum bona auditorum diſpoſitio gratias ipſi etiam concionatori promeretur, ut digne munere ſuo perfungatur, & annunciet evangelium, ut loquitur Origenes, quod pro ipſo non eſt, ſed pro audientibus illum; ita reor, Deum pravas populorum diſpoſitiones pravis concionatoribus punire. *Biroat ex volumine, quod aliquot pro anni dominicis ſermones continet.*

Sibi metuere debet cõcionator niſi exemplo magis, quam verbo prædicaverit.

Qui præpoſiti ſunt, ut alios illuminet, illi etiam periclitantur in multis deficere, donec aliis rectam oſtendunt viam. Chriſtianus orator moribus potius, quam rationibus probare debet. Vanitas, inaneſque plauſus timendi illi quidem ſunt, ſed majus periculum, a quo ſibi cavere debent, illud eſt, de quo loquitur J. C. in evangelio; loqui tanquam Apoſtolum, & vivere tanquam imperfectum Chriſtianum. Non ignorantia, neque propriorum officiorum oblivio illum excuſare poſſunt, qui adeo ſalutaria monita ſuggerit aliis. Quodnam propriæ illius ſaluti magis manifeſtum imminet periculum, quam eloquenter dicere, quod faciendum eſt, & nihil facere eorum, quæ ab ipſo dicuntur ? *Ex ore tuo te judico, ſerve nequam*. Luc. 19. Cuinam magis metuenda eſt gravis hæc exprobratio, quam illi, qui præclara tradit ſpiritus documenta; qui tanto zelo contra morum nequitiam invehitur, qui tanta cum unctione de virtute loquitur, & qui imperfectiſſimam viam ducit ? Mirum eſt, hominem, qui tanta vi, atque eloquentia loquitur, in animam ſibi inducere poſſe, ut aliter loquatur ab eo modo, quo vivit; ut aliter vivat ab eo modo, quo loquitur. *P. Croiſet Tomo 2. conſiderationum ſuarum.*

Auditorum guſtus circa ſermones varius eſt.

Fatendum eſt, difficultatem bene adimplendi hoc prædicationis munus minorem non eſſe ejuſdem dignitate. Sacri miniſtri, quos ad hoc miniſterium obeundum vocat providentia, fere nunquam omnem fidelium expectationem replent, vel raro variis eorum deſideriis reſpondent. Alii enim ea etiam, quæ magis ſacra ſunt, ornamenta peroſi ſermonis in diſſertationes, & catecheſes immutare vellent, & cum Apoſtolo omnes fere concionatores inſimulant ſpiritualis hujus adulterii, quod committunt, ubi corrumpitur puritas hujus verbi, quod purius eſſe debet argento ſepties per ignem probato. Alii ea illecti curioſitate, quæ efficit, ut ſæpe crucis fructus amittatur, vellent omnia floribus inſpergi, & exornari; ita ut fere impoſſibile ſit aliorum ruſticæ auſteritati ſimul, ac profanæ aliorum voluptati ſatisfacere. Væ nobis, ſi

hunc

hunc ſuggeſtum conſcendimus hac mente hominibus placendi inani verborum pompa, vel doctorum hominum exiſtimationem promerendi periculoſa oſtentatione ſcientiarum. Verum quoniam jubet Apoſtolus omnes adniti, ut proximo placeamus illud ædificaturi: *Unuſquiſque placeat proximo ſuo ad ædificationem*, Ad Rom. 15. omnes conatus debemus exercere, ut utrumque hunc ſcopulum ex æquo metuendum evitemus. *Abbas du Jarry, Panegyrico S. Dominici.*

Deus punit ſui verbi cõtemptum.

Heu! cavete, Fideles, ne Deus ſevere puniat ſui verbi contemptum. Ingrata hæc vinea nullos fert fructus, Dominus inquit; omnis cura, quam adhibui, ut illam fecundam efficerem in irritum abiit; nubibus imperabo, ne ſuper illam pluant. Non deerunt vobis unquam concionatores, nunquam enim decerunt eccleſiæ: ſed concionatores erunt unctione carentes, quia eſtis auditores ſine contritione. Nubes erunt aridæ, de quibus loquitur S. Judas Apoſtolus, quæ, quin in animas veſtras ſalutarem rorem effundant, vobis radios veritatis dumtaxat abſcondent. Verbum meum, dicit Prophetæ ſuo Deus, decidit in opprobrium, quia contempſerunt illud; verum ut ulciſcar, in ore tuo dabo verbum iſtud tanquam ignem devorantem, & populos, qui audient illud, tanquam arida ligna, quæ eodem abſumentur. Scio Deum ex concionatoribus diſtrictam expetiturum rationem tot ſermonum, quos de cathedra veritatis pronunciant; ſed auditores etiam rationem reddituri ſunt eorum omnium, quos audiverunt: & Dei verbum, quod Zachariæ 7. vocatur onus, *Onus verbi Domini*, opprimet Chriſtianos illud ſine fructu audientes, non ſecus ac miniſtros ſine qualitatibus neceſſariis illud pronunciantes. *Idem.*

Potentia, & virtus verbi Dei.

Quidquid unquam Deus fecit, per verbum ſuum facere voluit: & verbum hoc adeo celerem habet fœcunditatem, ut ſtatim ac pronunciatum fuit, omnia ſint facta: *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Pſalm. 32. Hinc Tertullianus Dei verbum *vocem imperialem* appellat, imperioſam vocem, cui omnia parent. Neque ſolum verbum hoc potens eſt in ſe ipſe, ſed cum Deus illud in hore hominum ponat, ipſum ſuam efficaciam, & virtutem conſervat, & celerem quoque habet activitatem, ac ſimili celeritate, quidquid cupit, producit. Sacerdos enim, qui Dei miniſter eſt hæc proferens verba: *Ego te baptizo &c.* nonne ſimul vitam Chriſtiano tribuit, nonne novam illi tribuit eſſentiam, & ex hominis filio Dei filium facit? Quomodo autem pater, poſtquam filio vitam tribuit, eumdem alere tenetur, Dei verbum hoc ipſum operatur &c. *P. Maſſon Presbyter Oratorii Sermone 2. Adventus.*

Quælibet planta ſuum fert ſemen, ut ſimiles ſibi plantas producat, & ſemina hæc, ubi in terram jacta ſunt, ſenſim transformantur in plantas, ita illi, unde prodiere, ſimiles, ut vix proſſint dignoſci. Dei verbum dicitur ſemen, & ſemen Dei; quia genitum in corde Dei, de Dei ore egrediens, & in hominum cor decidens illis per participationem communicat eamdem immortalitatem, eamdemque felicitatem divinæ illius plantæ, a qua productum fuit juxta ſcitum illud Sapientis dictum aſſerentis, quod ſcire juſtitiam idem eſt, ac immortalitatis radicem poſſidere: *Scire juſtitiam radix eſt immortalitatis*. Sap. 15. Dicamus aliquid amplius: divinum hoc ſemen, quod Pater æternus per filium ſuum, filius per Apoſtolos, Apoſtoli per ſucceſſores ſuos. Apoſtolorumque ſucceſſores ad hanc quoque diem per omnes ſerunt concionatores, qui miſſionem receperunt, ſtatim ac in cor hominum ingreſſum eſt per attentionem ab illis adhibitam, ſi ibi fert fructum, neceſſario faciat opus eſt filios Dei, & ut melius loquar, Deos ipſos, non per naturam, ſed per adoptionem. Hoc dilectus Diſcipulus in ipſo evangelii ſui exordio nobis confirmat dicens, J. C. dediſſe poteſtatem filios Dei fieri illis omnibus, qui crediderint verbo, quod nomine ſuo pronunciabitur. *Auctor ſermonum Chriſtianorum.*

Divini verbi miniſtri audiendi ſunt tanquam ipſe J. C.

Ac ne quis verbum Dei prolatum ab eccleſiæ miniſtris tanquam verbum hominum, ſed ſicut vere eſt, verbum Chriſti acciperet, ille ipſe Salvator noſter tantam auctoritatem eorum magiſterio tribuendam eſſe ſtatuit, ut diceret: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit:* quod quidem non de iis tantum, quibuſcum ſermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiam, qui legitima ſucceſſione docendi munus obirent, quibus ſe omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi adfuturum eſſe pollicitus eſt. *Ex præfation. Catechiſmi Concilii Tridentini.*

Quanti a nobis faciendũ ſit Dei verbum.

Vobis autem, qui divinum hoc audire verbum negligitis, & qui illud fortaſſe contemnitis, dicere poſſem, quod olim Samaritanæ mulieri Dei filius: *Si ſcires donum Dei*. Satiſne cogitaſtis, quam vobis gratiam contulit Deus, audiendi verbum illius vobis tribuens occaſionem? *Si ſcires*. Si intelligeres, quam pretioſum ſit hoc donum, & quam inæſtimabile hoc beneficium, numquid, ut facis, illud contemneres? Heu! quot vaſtæ regiones ſunt, ubi veritates, quas tibi miniſtrorum ſuorum opera tradit, ignorantur? Quot mortalium in idololatrarum terris myriades nunquam de myſteriis noſtris verbum ſibi fieri audiverunt? Quænam res Deum impellere potuit, ut tibi adeo liberaliter id largiretur, quod aliis negavit? Cur illos in fatali cœcitate, in qua ſunt, relinquit, dum oculis tuis totum lumen ſuum vult elucere? *Si ſcires donum Dei.* Si agnoſceres pretium, & magnitudinem ejus boni, quod tibi offert, ſi bene intelligeres, divinum hoc verbum fortaſſe ſalutis tuæ eſſe principium, primam amicitiæ tuæ perquiſitionem, quam exigit Deus, ſignum prædilectionis, qua te ab æterno proſecutus eſt, & fortaſſe extremum miſericordiæ ejuſdem effectum, nunquid hoc ſalutis verbum, beneficium adeo ſingulare, & occaſionem adeo acceptabilem negligeres? *Sermo manuſcriptus.*

Quid dici poteſt ad mentem perſuadendam, movendumque cor, quod divinum hoc verbum in anima illud audientium non exprimat? Sed quænam in hominibus ſperari correctio poteſt, ſi Dei verbum in corde eorum non operetur amplius, & ſi in flagitiis ſuis uſque perſeverent? Num latet, cordis converſionem gratiam eſſe ſecundum ordinem providentiæ prædicationis verbo tantum inhærentem, ideoque expectandum non eſſe ab illis, qui hac via non convertuntur, niſi finalem impœnitentiam, æternamque ipſorum calamitatem? *De la Volpilliere.*

De inſignibus Divini verbi effectibus.

Vocis hujus rumor in remotiſſimis etiam regionibus exauditus eſt, feros, barbaroſque domuit populos, agreſtes immutavit mores, & horrentem ſolitudinem in florentem eccleſiam convertit. Primis chriſtianæ religionis temporibus viſi ſunt homines, poſt auditum Dei verbum, delicias contemnete, inter cruciatus feſtinare, atque tyrannorum, carnificumque ſævitiam in admirationem convertere; & quotidie videmus adhuc plures divini hujus verbi virtute adactos difficillima quæque conari. *Idem.*

Dei verbum nunquam melius, quam hodierna die fuit annunciatum: non conquiruntur amplius theoreticæ veritates, atque ingenioſa acumina, quæ inani labore mentes dumtaxat detinebant, nullumque in cordibus gignebant effectum. Modo utilitas quæritur; morum diſciplina tractatur; facilis, ac popularis eloquentia laudatur, pietas pro virili animabus inſeritur, humanarum actionum in ſtatibus omnibus hipotypoſis proponitur, ut quilibet tamquam in ſpeculo ſuam conſpiciens imaginem illic ſua intueatur vitia, eorumque remedia perquirat, ... Undenam ergo hoc ipſum verbum in tot præſtantium oratorum ore, atque tanto etiam zelo prædicatum minorem, quam unquam, efficit impreſſionem? Inde profecto, quod ea non adhibetur, quæ adhibenda eſſet, intentio, & quod, quin animus iis applicetur, quæ prædicantur, aliis quibuſcumque rebus deſtinetur. Hic opus ſuum cogitat, alius litem ſuam. Univerſa terra, inquit Propheta, deſolata eſt, quia mortales ſexcentis impediti curis eas nequeunt aſſequi veritates, quæ ipſis nunciantur: attamen illas meditari opus eſt, atque omni diligentia, cujus mens noſtra capax eſt, perſcrutari, ut illinc fructum percipere valeamus. Verum quomodonam avarus, qui diteſcere tantummodo ſtudet; ambitioſus, quin id unum incumbit, ut vel cum proximi ſui detrimento creſcat; ultionis cupidus, qui vindictæ ſpiritum fovet; voluptuoſus, qui ſuis tantum voluptatibus vacat; mundanus, qui in amatoriis nugis, ornatibus, recentibuſque veſtium ritibus totus eſt; quomodonam, inquam, iſti ſeſe colligere poſſunt, ut Dei verbum audiant, ut illud ſerio conſiderent, ut inde fructum percipiant? *Idem.*

Aliquando reddenda nobis erit ratio verbi Dei, quod audivimus, quin inde proficeremus.

Veniet dies, qua juſto Dei ſupplicio ſuggeſtus hic, de quo verbum Dei vobis annunciatum fuit, in tribunal convertetur, ut damnemini. Auditores omnes, cum quibus illud audiviſtis, totidem erunt teſtes contra vos producti, & illi ipſi, qui illud vobis prædicarunt vero ſalutis veſtræ deſiderio, ſemel adhuc loqui cogentur nunciaturi, nullam vobis ultra ſalutis ſpem ſupereſſe .... Illud vero maximum eſt doloris noſtri incrementum, quod, quin illis prodeſſe valeamus animabus, pro quibus laboramus, eiſdem nocere debebimus: contra illas loquemur, & eadem voce, qua modo loquimur pro earum ſalute, tunc damnationis earum ſententiam proferemus. *Idem.*

Diſtracto, & diſſipato ſpiritu Dei verbum auditur.

Ad concionem audiendam diſſipatus, diſtractuſque ſpiritus adfertur: ſpiritus ſexcentis impeditus curi, quæ gratiæ aditum intercludunt, & quæ attentionem

Dei

Dei verbo debitam prorſus auferunt. E contra ſpiritus afferendus eſt vacuus, liber, ab omni importuna cogitatione expeditus, ab omni incompoſito affectu immunis, nullique obnoxius præoccupationi contra veritatem, de qua ſermo eſt audiendus . . . Verum quid cogitatur, cum divinum hoc verbum auditur? *Ubi ſum, ſi ibi non ſum*, vetus quidam ajebat. Mens non adeſt concioni; ſolatio adeſt, operi, negotio, ambitioni, voluptario cœtui, libidini; hæc vos diſtinent; illis potius adeſtis, quam ſermoni. Nam quamvis & corpore ſimul, & ſpiritu conſtetis, præſentia veſtra non eſt, ubi præſens eſt corpus veſtrum; ſed illic proprie, ubi ſpiritus veſter. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Concionatores ſunt interpretes Dei ipſius.

FRatres, vobis loquitur Deus per os Concionatorum. Ipſi vobis Dei verbum annuntiant, & ex quo legitimam habent ab eccleſia miſſionem, illi non amplius tamquam homines audiendi ſunt, ſed vobis fiunt organa, & interpretes Dei ipſius, ejuſque Spiritus Sancti. Hoc mundi Salvator Apoſtolis ſuis, dicebat Matth. 10. *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Ad id mittebantur Apoſtoli, eamdemque ob cauſam vos electi fuiſtis: Dei, inquam, imperio, & eccleſiæ nos, Auditores lectiſſimi, cathedram veritatis aſcendimus, ut vos erudiamus. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Admirabiles effectus verbi Dei.

Ex omnibus ſalutis, & ſanctificationis noſtræ adminiculis potentiſſimum, vel ſaltem inter ea, quæ potiſſimum præſtant, proculdubio recenſendum eſt Dei verbum. Hoc totum mundum convertit; videlicet convertit regna, & imperia, eduxit populos idolatras de caligine infidelitatis eorum; illos emergere juſſit de teterrima vitiorum abyſſo; illos ad heroicarum virtutum praxim evexit; in Chriſtiana religione peperit ordines celeberrimos pœnitentium, anachoretarum, cenobitarum. Quid autem, ſi vobis tot alios memorarem admirabiles effectus, quorum illud principium fuit? Obſtupeſceritis, atque tot præclara intuiti miracula cum Sapiente c. 18. exclamaretis; *Omnipotens Sermo tuus!* Domine, quid eſt adeo difficile in ordine gratiæ æque ac naturæ, quod verbi tui non cedat omnipotentiæ, & ab hoc non ſuperetur? *Idem.*

Vulgo creditur, omnia jam eſſe acta, tranſactaque, ubi nos Dei tetigit ſermo, verumtamen dicere poſſumus adhuc plurima ſupereſſe efficienda. Omnia facta ſunt ex parte Dei vocantis, & gratiam ſuam offerentis, ſed nihil a vobis actum eſt. Veſtrum eſt ſequi Paſtorem, qui vobis vocem ſuam audiendam præbuit; veſtrum eſt in lucro ponere talentum, a Domino veſtro creditum. Sermone igitur audito vobis curæ colligere hanc igneam ſcintillam, quæ cecidit in animam veſtram: fovete hanc meditatione, hanc alite pia aſcetici alicujus libri lectione, quin ſtatim abeatis ad ſpiritum veſtrum in mundi negotiis diſſipandum. *P. Croiſet in Aſceticis Exerc.*

Si ex Dei verbo non proficimus, culpa noſtra eſt.

Numquam Dei verbum frequentius in Chriſtianiſmo fuit annunciatum, quam his temporibus, ſed æque verum eſt optimum hoc ſemen in agro eccleſiæ ſatum numquam ſterilius fuiſſe, & Chriſtianos numquam minorem fructum percepiſſe. Unde nam tanta hæc inutilitas verbi Dei profecta eſt, & cuinam cauſæ acceptam referendam putamus? Num ipſi verbo Dei? Num concionatoribus illud prædicantibus? Num Chriſtianis audientibus? Velle ipſum Dei verbum inſimulare eſſet injuſtum; neque enim minus potens eſt hodie, quam Apoſtolicis fuerit temporibus, cum unicus S. Petri ſermo tria auditorum millia convertit. Numquid Præcones Evangelici mali hujus ſunt cauſa? Eſſe poſſunt, ut teſtatur Apoſtolus, qui illud captivum detineant, alii, qui illud non ſine pacta mercede venditent, & qui ut ita dicam negotiantur, ad neſcio quam oratoriam laudem captandam. Mores fortaſſe aliquorum diſciplinæ, quam prædicant, adverſantur; facta fortaſſe dictis eorum repugnant. Eſto, verum tamen eſt Deum nequaquam adnectere concionatorum meritis, & ſanctitatis vim verbi ſui. Hoc propria virtute operatur, etiam independenter ab intentione miniſtri. Illi quidem illud profanant, ſemetipſos prævertunt, ſed ſemet prævertentes alios tamen ſanctificant. Modo terra bene præparata, & exculta fuerit, ſeminantis peritia parum prodeſt fertilitati. Si igitur Dei verbum in nobis modicum proficit, ſi in iiſdem malis inſepulti jacemus, nobis metipſis iraſcendum eſt; hoc oritur ex prava terræ natura, non autem ex illa excolentis inſcitia. Sed ex hac ſterilitate, quid nobis inferendum eſt? Divinum hoc verbum pertinaciſſimis, & corruptiſſimis Ethnicis prædicatum fuit, & converſi ſunt. Prædicatur adhuc quotidie populis, qui maxime rudes, & barbari habentur, & convertuntur. Prædicantur nobis, eædem fidei veritates nobis prædicantur, num apud nos accidit frequens numerus converſionum? Cum menti perſuaſum eſt, cor ſtatim reformatur, & morum mutatio ſemper eſt neceſſarius effectus hujus reformationis. Dicendum eſt igitur ſpiritum noſtrum eſſe parum docilem; dicendum eſt nihil eorum, quæ prædicantur, a nobis credi, quandoquidem adeo parum noſmet corrigimus. Si vero non credimus; numquid fideles ſumus? *P. Croiſet in Aſceticis Exerc.*

Ero, cum veniſſem ad vos, dicebat S. Paulus 2. ad Cor. 2. *veni non in ſublimitate ſermonis*. Quod ſcandalum! Quæ contradictio! Si Miniſtri Evangelici meditatis, oleumque redolentibus ſermonibus plauſum quærerent eo tempore, quo prædicant humilitatem, & Dei pauperis, & humiliati exinanitionem. Tunc divinum verbum, quod fulminis inſtar terrorem injicere, & percutere debet, inutiliter tantum eluceſceret inſtar fulguris, & auditores tranquillos detineret. Hoc illud eſt, quod Apoſtolus idem 2. Cor. 2. appellat adulterare verbum Dei. Indiget ne Dei verbum fuco, & lenociniis, ut perſuadeat? Virtus illius pendet ne a noſtra eloquentia? Duodecim pauperes piſcatores ignari, idiotæ, rudes erantne ſatis diſerti, & dicendi arte expoliti? Quanam in ſchola didicerant flores, & figuras rhetoricas? Concionatores iſti cum admirabili ſimplicitate prædicaverunt incomprenſibiles noſtræ religionis veritates, hanc duram, aſperamque morum diſciplinam, eaſque prædicarunt apud Græcos, qui ſapientiam prorſus humanam & ſcientiam ſolis rationis luminibus innixam admirabantur; nec non prædicaverunt illas Romanis ſuperbis, ac populis omnibus maxime barbaris. Græci iſti, Romani, & barbari rationem ſuam, aſſertamque ſapientiam, omniaque lumina ſua fidei veritatibus ſubmiſerunt. Mundus univerſus converſus eſt. Primus S. Petri ſermo in ipſa Jeruſalem ultra quatuor mortalium millia convertit. Numquid elegantiæ locutionum, oratorum præſtigiis, ſententiarum acumini, fucatæ Evangelicorum Præconum eloquentiæ admirabiles iſti triumphi accepti ſunt referendi? An hæc ars mere humana obtundit aciem magnarum harum veritatum, earumque robur imminuit? Concionatorum nubes, quorum vocibus omnes reſonant ſuggeſtus, in denos annos ſingulos peccatores convertit? Attamen eædem prædicantur. Undenam ergo tanta ejuſdem ſeminis ſterilitas? Quia apparatus, qui plerumque adhibentur, omnem illi adimunt virtutem. Non eſt amplius divinum verbum concio, ſed eſt verbum prorſus humanum. Num mirum eſſe debet, ſi adeo exiguus inde fructus referatur? Beatus, qui omnia neſcit præter JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum. Mundani, homines immortificati, ſenſibus deſervientes, voluptatibus dediti hanc habent ſcientiam? Heu! ſolus Filii Dei adſpectus in cruce nobis detegit veritates. Ibi amoris prodigium, terribile juſtitiæ exemplum, prototypum pœnitentiæ ad perſuadendum aptiſſimum intueor. Cætera obliviſcamur, ut altius in cordibus noſtris adeo neceſſaria documenta inſculpamus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Dei verbum non eſſe debet nobis in nullo diſcrimine neque inutile.

Verbum Dei plerique nullo habent in diſcrimine, vel inutile putant. Sunt qui credunt illo inaudito ſe poſſe converti, & non deſunt, qui audiant illud, quin convertantur. Quid utriſque dicetur? Prioribus dicemus nullam ipſis eſſe rationem, quæ legitime poſſit illos diſpenſare ab audiendo verbum Dei, hoc numquam illi eſſe poſſe in nullo diſcrimine, licet etiam nullum inde fructum perciperent. Poſterioribus vero dicemus, graviſſimum pro illis eſſe damnum, ſi illud audientes ſine diſpoſitionibus neceſſariis nullum referunt fructum, divinum hoc verbum numquam eſſe inutile, quandoquidem neutrum eſſe non poteſt. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Unum inter præcipua religionis exercitia eſt verbum divinum audire. Suggeſtus locus eſt, ubi veritas quodammodo in cordibus noſtris incarnatur, ſicuti altare eſt Calvarium, ubi veritas eadem ad noſtram ſalutem immolatur. Hic locus eſt, quo illa confugit, & ubi integram recipit vocis ſuæ libertatem. Ibi magna cum majeſtate loquitur viris ſummis æque ac imis, dominis æque ac ſervis, doctis æque ac ignaris, nobilibus æque ac plebeis, divitibus æque ac pauperibus, Principibus æque ac ſubditis. Ibi triumphat Evangelium, huc accedunt Reges, & mundi Principes audituri Magiſtrum ſuum, & collecturi Sapientiæ Oracula, quibus indigent ad ſemet erudiendos, & regendos populos, ſub cujus poteſtate ſunt. Si de pœnitentia ſermo eſt, hoc ad illos pertinet; ſi de humilitate, hoc ad illos pertinet; ſi de interiori hu-

jus

jus mundi amore, hoc ad illos pertinet, licet ſint domini. Illuc omnes proficiſci tenentur ad audiendum, quid Deus omnibus aſſignet hominibus, & ſuggeſtus locus eſt, quem elegit, ut meliorem ibi operis ſui partem abſolveret, quæ eſt eorum inſtructio, & cognitio veritatis. Per prædicationem convertit univerſum. Crederitis ne non communes miſericordiæ ſuæ actus totidem eſſe privilegia, quæ vobis reſervavit? E re cenſuit non alio uti adminiculo, quam verbo ſuo ad nationes convertendas. Vin illi irrogare legem & eum cogere ad operanda prodigia, ut te tangat? Numquid expectas, ut recedat mare, ut olim, pro quo te? In tenebris jaces; offertur tibi lumen, quæ tibi monſtretur via; viſne igneam columnam olim populo Judæorum conceſſam? Non ſufficit tibi panis Filiis Dei communis, expectas ne, ut de cœlo pluat manna, quo guſtui fiat ſatis? *Idem.*

Quávis prædicatores nequiter viverent, divinū verbum ab illis prolatum reveri deberemus.

Sanctum, inquiunt, eſſe decet, qui prædicare velit. Multine hujus characteris inveniuntur? Prætextus non ſolum a ratione abhorrens, verum etiam irriſorius ad excuſandam ſuam in audiendo verbo Dei negligentiam. Concionator Sanctus eſſe debet: hoc ad illum pertinet, non autem vos excuſat. Vult Deus fortaſſe, ut converſionem veſtram debeatis homini indigno, qui ſuam obtineat, ut agnoſcatis, cui illam debetis, & nihil in partem accedere poſſe gloriæ cum gratia. Hæc lampas eſt, quæ vobis oſtendit viam, quam ſequi debetis quantumvis hanc vobis oſtendens ipſa abſumatur. Quia Architecti, qui Neoticam ædificarunt arcam, in illam ingreſſi non ſunt, ſed ipſis quoque fluctibus abſorpti perierunt, voluiſſetis ne eorum exemplum ſequi, & fugere diluvium in navi ab illis extructa, & quæ iiſdem non profuit? Stella eſt cadens, ut Scripturæ verbis utar, lumini illius debeo, ejuſque lapſum admiror. Vox quidem vox Jacob eſt, manus autem ſunt Eſau: Equidem ſcio, non eſſe illius per os ſuum Domini teſtamentum aſſumere qui de illius conquiritur audacia, ſi hoc facit, ſemper tamen hoc eſt teſtamentum ſuum. Deus gratiam ſuam tribuit cuicumque ille operæ pretium cenſuerit. Ambigitur, utrum Salomon egerit pœnitentiam: quot ſunt quibus ſcripta illius pœnitentiam ſuaſerint? Dubitatur, utrum Origenes fuerit hæreticus? nonne obſtitit, ne multi fierent tales? Non liquet, an Tertullianus obierit Catholicus. Volumina illius nonne in cauſa fuerunt, ut eruditi complures in eccleſiæ ſinu permanſerint, vel in illam fuerint ingreſſi? Sexcenta alia prætermittuntur exempla. At enim homo eſt, qui factis ſuis non concors eſt cum verbis ſuis: verum eſto, ſit ille tantum nequam, quantum tibi placuerit. Reciperes ne Baptiſmum de manu illius, niſi recepiſſes illum, & ſi illum non recipiens in urgenti periculo ſitus eſſet? Igitur ex ſententia tua, non debet Heros in naufragio ſuo manum dare nautæ? Non decet illum remigi debere vitam, quam periculo liberavit? Rudis argumentatio, error bipalmaris, ut ita dicam, vellet potius perire, quam quidpiam debere homini, qui infra nos poſitum arbitramur. Eſt Abrahæ nos de Ethnica religione erudire, tamen ipſe quoque fuit Ethnicus. Eſt Davidis nos contra divinæ legis violatores erudire, ipſe tamen illam perfregit. Eſt Petri in illos declamare, qui JESU CHRISTO abrenontiant; ille tamen hunc negavit. Paulus nonne fuit perſecutor? Auguſtinus nonne fuit Manichæus? Inde ne ſequitur eorum documenta a nobis eſſe rejicienda? *Abbas Boileau.*

Inquiet fortaſſe aliquis, ſe ſatis eſſe Evangelicis imbutum veritatibus, ſe eas ſcire, quæ ſatis ſunt, ſe non indigere ſermonibus. Non agitur ſemper, ut erudiatur Chriſtianus, qui omnia penitus ignoraverit; hoc agitur, ut quiſque ſerio animum advertat ad ea, quæ non ignorat. Nathan fit primus Concionator Davidis. Rex hic melius norat peccatum a ſe commiſſum, quam Prophetam: tamen nihilo ſecius eguit, ut Nathan induſtri parabola ei diceret; tu ille vir es, quem punire vis. Sciebat Herodes inceſtum legibus omnibus vetitum eſſe, tamen Jo: Baptiſta dicit illi: Quod facis, tibi non licet. Cognoſcebant Phariſæi nequitiam, hypocriſim, & cordium ſuorum corruptionem; nihilominus Dei filius, ut melius illis aperiret iniquitatem ipſorum, dixit: Væ vobis ſepulchra dealbata &c. *Idem.*

Quomodo S. Paulus auditus fuerit ab aliquibus terræ Principibus.

Quid eſt Prædicatio? Eſt miniſterium JESU CHRISTI loquentis cum hominibus; ipſe eſt JESUS CHRISTUS illos monens, illis ſuas voluntates ſignificans, illis minas intentans, illos conſolans, illis viam rectam indigitans, illos erudiens. Concionatores vero illius ſunt organa, ſed ſæpe ſeſe cum illis gerit, ſicuti olim cum S. Paulo. Hic quater apud terræ principes locutus eſt. Primum in Areopagitarum Senatu, iterum coram interſigni magiſtratu, tertio coram præſtantiſſimo Prætore Provinciæ, demum coram Rege Agrippa. In Areopago cum voluptate exceptus fuit; cupiebant Athenienſes aliquid novi ſemper audire: ſed ex quo de extremo judicio, & mortuorum reſurrectione mentionem attigit, irridentes conclamarunt, quid ſibi vult narrator hic fabularum? Eum Feſtus audiit, ſed animo cenſorio. Vix dixit Paulus tempus futurum, quo univerſus terrarum orbis faciem mutabit, cum Præſes ille inſipientem hunc judicavit: *Inſanis, Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Act. 26. Felix audiit illum cum oblectatione, immo etiam commotus fuit; idea divinæ majeſtatis illum perterruit, ſed ſtatim ſurrexit, ac dicentem interpellavit: *vade, tempore autem opportuno accerſam te.* Rex tandem Agrippa illum non irriſit, non cenſoria nota perſtrinxit, non interpellavit; totum illius ſermonem audivit, eodem commotus fuit; verum ſatis ei fuit triſtem hanc eidem gloriam tribuere: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri. Idem ibidem.*

Eſdras ſanctum librum manu tenens medius inter Sacerdotes, & Levitas vix os aperuit Legem interpretaturos, cujus ſermonem fere obliti fuerant, cum populus in terram procidit Deum adorans, eique benedicens. *Incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram*, 2. Eſd. 8. Omnium corda pietas tanta pervaſerat, omnium oculi manabant lacrymis, & qui ſeptuaginta ante eam diem annos non niſi præ mœrore ac dolore plorare conſueverant, tunc primum didicerunt, quid eſſet flere præ lætitia: *Flebant omnis populus.* Nullus inter illos rumor niſi ſuſpiria; talis tamen tantaſque erat, ut publicam attentionem turbaret, & Levitæ in omnem cætum effuſi tenerentur ſilentium indicere, & gemitus, lacrymaſque inhibere. *Levitæ ſilentium faciebant dicentes. Tacete, nolite flere.* Quodnam erat objectum attentionis adeo vividæ, & religioſæ? Eſdras Dei interpres, quem tamquam Deum ipſum audiebant. Libri Moyſis, quos tamquam ipſum Dei verbum reverebantur. Moyſes autem nequaquam mortuus erat, ut verbo ſuo accederet auctoritas. Hoc non ſubjecerat idolatras populos religionis jugo. Nos autem auditores lectiſſimi habemus Evangelium ſignatum ſanguine Dei victoris gentium infidelium, & barbarum. Hæc nobis effectu, quod in illis obtinuit, nobis oſtenderunt, quem effectum in nobis obtinere debeat, cum nobis coram ſacris altaribus prædicatur. Attamen ubi ſunt lacrymæ, quas fundimus, contritio, quæ cor noſtrum pervadit, fructus ipſe, quem referimus? *P. de la Rue in Quadrag.*

Deus quovis tempore ſuſcitavit concionatores vere Evangelicos.

Sæculis omnibus ſuſcitavit Dominus homines ſuo repletos Spiritu, qui ab Evangelicis ſermonibus proſcribentes oſtinationem ſcientiæ ſterilis, & inanis unice vacant reformandis moribus, & qui admirabili ſtudio explicuerunt omnia vitia ſecreta, in cordibus humanis latentia, quæ amor proprius tot operit integumentis, ne illos agnoſcentes erubeſcant, eoſque impugnare teneantur. Sed hi clam gemebant, cum videbant Auditores ſuos plaudere manibus, cum pectus ſuum tundere debebant in templis, quæ prorſus prophanis acclamationibus reſonabant, dum ſingultibus pœnitentiæ tinnire debuerant. Amor proprius, qui non aliud quærit, quam ſemet occupari, oblectatus eſt ſeipſum agnoſcere, & conſiderare in fidelibus ſpeculis præſtigiorum ſuorum, & imaginis ſuæ pulchritudinem admirari. Sed illum numquam puduit vitiorum. Cavete, Fideles, ne Deus diſtricte puniat ſui verbi contemptum. *Abbas du Jarry.*

De utilitate verbi Dei.

Non poſſet Deus religionem in puritate ſua ſartam, tectamque tueri, quin omnem prædicationis virtutem ſervaret; duo enim inconcuſſa fundamenta, per quæ religio ſubſiſtit, ſunt veritates, quas nobis revelavit, & leges, quas nobis præſcripſit. Quemadmodum autem impoſſibile eſt, ut Dei providentia deſerat eccleſiam, quin illis tribuat homines ſuo illuſtratos ſpiritu ad illam purgandam ab erroribus, quorum ignorantia, & humani ſpiritus ſuperbia puritatem doctrinæ illius adulterare poſſunt, ita hæc eadem providentia non minus tenetur eccleſiæ ſuppeditare homines plenos zelo legis, ut ſe opponant morum corruptioni, ut vitia ſæculi impugnent, ut omnes reforment abuſus, qui committuntur contra diſciplinæ regulam, ut inter tot veritatis præjudicia legiſque inobſervantias, ſemper certiſſimum habeant Canonem eorum, quæ ſunt a nobis credenda, & facienda, ut ſi minus hanc regulam omnes ſequuntur, poſſit tamen ſemper agnoſci, & ut religio vera, quæ in eo ſita eſt, ut ad unguem credamus, quod Deus revelavit, & diligenter obſervemus, quod juſſit, nulla in ſe labem patiatur. *Abbas du Jarry.*

Verbum, quod olim Apoſtoli Barbaris, ac Ethnicis prædicarunt, illud idem eſt, quod ex Concionatorum

rum labiis auditur, quod invenit Idolorum cultores, & illos in cultores Dei veri convertit, quod peccatores perſtringit, eoſque contritos efficit, quod, ut verbo me expediam, atheos, & nefarios homines in prædeſtinatos, & Dei filios immutat. Quemadmodum vero verbum divinum eſt lumen eſſentiale, producens amorem æternum; hoc Dei verbum in ſecretiori ſpiritus parte parit illuſtrationes, accendit flammas, & ciet validas ſacraſque emotiones in pectoribus noſtris, quibus hæc excitantur ad amorem divinum, ex quo filiatio adoptiva procedit. Sicuti miſericordiarum Pater proferens verbum ſuum genuit filium ſuum, quod eſt verbum: ita hoc verbum caro factum per verbi ſui prædicationem, genuit filios Dei per adoptionem. Præterea quemadmodum per verbum divinum omnia facta ſunt, quod quidem eſt eſſentiale verbum Patris Æterni, ſicuti natura univerſa conſtituta fuit in jure ſuo, & inſignibus ornata prærogativis per verbum carnem factum, ita hoc ſenſibile verbum, quod a nobis Dei verbum vocatur, cum ſit viva imago Verbi æterni, potentiſſimum eſt medium, quo uti vult ſuprema Sapientia, ut nos ſtatuat in ſtatu prorſus divino, qui eſt gratia ipſius. *P. Antonius de S. Martino in libro, qui inſcribitur, Les Conduites de la Grace.*

Tria admirabilia dedit Deus per J.C. hominibus Spiritū, corpus & verbū ſuum.

Tria nos rapere debent in altiſſimam admirationem cogitationum, & conſiliorum divinæ erga nos bonitatis. Primum eſt, quod per JESUM CHRISTUM tradidit nobis ſpiritum ſuum, a quo corda noſtra dirigantur: *Per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Alterum eſt, quod Salvator ipſe nobis dedit corpus ſuum, quo animæ noſtræ nutriantur. *Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum.* Tertium eſt proprium Dei verbum, quod cum increatum ſit in ſinu Patris, & incarnatum in Humanitate, quam aſſumpſit in ſinu Virginis, cumque nobis eſſe voluerit ſimul Sacramentum, & ſacrificium in ara, voluit etiam ſe ipſum quotidie ſtatuere in ore Concionatorum, deferri ſe auribus noſtris, aditum invenire in corda noſtra, ibi poſiturus verba vitæ, germen adoptionis, ſemen Dei ad filios Dei producendos. *Idem.*

Sicut eccleſia in ortu ſuo fuit pauper ad extremum, & nihiloſecius in ſumma hac paupertate coli debuit, quod permiſit Deus, ne illius inſtitutio humano conſilio, opibuſque referretur accepta. Ita temporis decurſu locupletata non minus in altero hoc ſtatu colenda eſt, quam in priore, quandoquidem alioquin omni careret auctoritate, ac vi. Hoc ipſum accidit prædicandi ſcientiæ. Initio enim Concionatores rudes erant homines, ſed miraculorum donum habentes, quod illis conceſſit Deus, ut oſtenderet eccleſiam non eſſe conſtitutam effectu humanæ ſapientiæ, ſed ſola virtute Dominicæ crucis, ut S. Paulus inquit: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ut non evacuetur crux Chriſti.* Sed in eccleſiæ progreſſu, opus fuit doctoribus, vel diſertis oratoribus, quorum ſcientia miraculorum locum obtineret. Et ſicuti miraculis erat opus ad perſuadendam, & ad celebrandam Dei crucifixi potentiam, in eorum infirmitate, quos elegerat ad jacienda eccleſiæ fundamenta; verbum, & eloquentia ſucceſſit, ut erudiret, & perſuaderet; & hujus diſcriminis ratio inter eccleſiam, & eccleſiam, quæ initium duxit per ignorantiam, & incrementum obtinuit per doctrinam, eſt, quod religio Chriſtiana ſuperat rationem, & in eccleſiæ progreſſu non agitur de judicio de eadem ferendo, ſed de illa exercenda, & per perſuaſionem inferenda. Requiritur ergo in Concionatoribus eloquentia, & ſcientia; quæ valeat mentes noſtras lucrari eaſque Dei verbo dociles reddere. *P. Ant. de S. Mart. a Porta.*

Prodigium quod Dei verbū quotidie operatur, & ejus efficacia.

Quemadmodum, ex S. Auguſtino, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ita hoc ipſum verbum accedit ad impura corda, & homines pudicos efficit; accedit ad corda impia, & homines Sanctos facit. Hos invenit in peccato, eoſque convertit ad Deum. Quemadmodum in Sacramentorum omnium auguſtiſſimo, verba hæc: *Hoc eſt corpus meum*, efficiunt panis in corpus, & vini in Sanguinem Filii Dei tranſubſtantiationem quia non Sacerdotis, ſed JESU CHRISTI verba ſunt, per Sacerdotem tamen prolata: ita Concionatores faciunt morales tranſubſtantiationes, ſed admirabiles; & antiquos peccatores in novos Dei ſervos convertunt. Quæ miracula verbum hoc non operatur! Cadit in cor David adulteri, & Regem efficit pœnitentem. Cadit in cor Magdalenæ, ibique idolum inveniens peccati in pœnitentiæ exemplar convertit. Cadit in Matthæum, & ex publicano facit Evangeliſtam. Vides in Templum ingredi animam mundum, & vanitatem adſpirantem; ſed templum ingreſſa, attentam aurem præſtat verbo Dei, ac ſtatim penetratur cœleſti lumine, quod efficit, ut agnoſcat ſtatum miſerum, in quo eſt. In hac agnitione videt turpitudinem ſuam: turpitudo gignit læſi numinis dolorem, dolor vero parit vitæ mutandæ conſilium. Quæ autem cauſa eſt hujus miraculi, niſi Dei Verbum? *Idem.*

Vis, & energia verbi Dei tanta eſt, ut jure omnipotens valeat nuncupari; *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* In ipſo nihilo invenit aures, quæ paratæ ſunt ad illud audiendum: *Vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.* Subegit univerſum, evertit cultum Idolorum, integras nationes convertit. Subjecit Reges, Sapientes, legislatores Evangelio; dicam amplius ſubjecit fidei noſtræ mundum univerſum; populi barbari, & feroces commoti ſunt, & conturbati. Denique divino huic verbo debemus mundi totius converſionem, & Idololatriæ everſionem: quæ omnia non ſinunt nos de illius potentia dubitare. *Idem.*

Quænam ſit cauſa fructus modici quē hoc divinum ſemē adfert.

Undenam fit, ut Dei verbum, quod eſt adeo potens, quod modo adeo vulgatum eſt, & cognitum, ut plurimæ fiant in oppidis, & in agris prædicationes, undenam inquam fit; ut inde modicus fructus percipiatur? Olim retibus capiebantur animæ: *Laxate retia veſtra in capturam;* hodierna autem die diceretis Evangelicos Piſcatores hamo tantum uti. Quidquid toto Adventus, vel etiam quadrageſimæ tempore acquirere Concionator poteſt, erit animas duas, vel tres, & fortaſſe nimis dixi. Poſt tot, tamque diſertos Sermones adeo modicus fructus, & tot videntur ſcelera, ut hoc mirum videatur. An prædicatio hodierno die eo pervaſit, ut quidem tantum ſit curioſitatis in auditoribus, quam in concionatoribus vanitatis? Verum ſi Concionatores hac in re nocentes ſunt, auditores ſane ſunt nocentiores, nam horum curioſitas cauſa eſt vanitatis eorum. Pro cauſa afferri poſſe videtur, homines nolle ſibi duplicis generis veritates prædicari, quarum aliæ quidem docent, aliæ vero corrigunt. Veritates, quæ docent, animatæ ſunt & perquiruntur, ſed quæ corrigunt, non videntur tolerabiles, & ſæculi hujus mortalibus non placent, ſicuti videmus in novo Teſtamento cum S. Joannes Baptiſta Herodem docet licet nequam, hunc tamen illi aures libenter præbere, *libenter eum audiebat.* Marc. 6. At ubi Præcurſor illi inceſtum exprobrat: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*, hanc correctionis veritatem ferre non poteſt, & hæc illa quidem eſt, quæ mundo non ſapit. Similiter cum Evangelicus præco detonat contra libidinem, libidinoſus illum non æquo patitur animo. Hoc igitur audientium vitium eſt, qui neceſſarias non afferunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum. *Idem.*

Audiendum, & ponderandum eſt Dei verbum, atque inde proficiendum: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Matth. 13. Divini hujus, humanorumque verborum diſcrimen patet. Quid auditis in foro, vel ante judicum ſubſellia, vel de cathedris, ubi de humanis ſcientiis diſſeritur? Hic ad vos non habetur ſermo de metato agello, de vinea, de uſufructu, hypotheca, Contractu, Teſtamento, ut coram judicibus agunt Cauſidici; non de pactis conventis, de fœnere, de connubio, aut de pace; ut Regum legati. Annuntiantur vobis æternæ veritates, de ſalute animarum veſtrarum, de pace cum Deo, & proximo, & vobis metipſis habenda, de myſteriis Redemptionis veſtræ, de Fide, & regno cœlorum, quo tendere debent omnes actiones veſtræ, & deſideria. *P. Antonius de S. Martino a Porta; & recens quidam.*

Prædicatoris officiū æque ſublime eſt, ac illud Sacerdotis.

Concionatoris officium munus tantum eſt, ac tam ſublime, uti ſicuti nihil eſt in eccleſia adeo ſublime, ac Sacerdotium, ita nihil æque præſtans inveniatur ac Concionatoris officium. Sacerdotes Dei Filium producunt in ara: Concionatores producunt illum in cordibus noſtris. Illi propter ſanctiſſimum munus ſuum conjuncti eſſe debent cum J.C. & quodammodo cum illius perſona confuſi: hi hoc ipſum eſſe debent, & nos audire, ac revereri debemus Chriſtum Dominum in eorum perſonis loquentem: *Tamquam Chriſto exhortante per nos.* 2. Corinth. 5. Et ſicut aliqua intercedit ratio Sacerdotes inter, & Concionatores, ita quoque intercedit inter eos, qui corpus, & ſanguinem Filii Dei conſecrant, vel qui verbum ejus evulgant, & eos, qui illud audiunt, & quibus evulgatur. *Idem.*

Non minores afferendæ ſunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum, quam ad recipiendum ſacrum corpus Salvatoris in ſancta Synaxi: *Ad Evangelium, tamquam ad Chriſti corpus confugio:* ait S. Ignatius in epiſtola ad Philadelph. Sed ſi opus eſt ſe rite præparare ad audiendum divinum verbum, in ipſa concione aures,

jus mundi amore, hoc ad illos pertinet, licet ſint domini. Illuc omnes proficiſci tenentur ad audiendum, quid Deus omnibus aſſignet hominibus, & ſuggeſtus locus eſt, quem elegit, ut meliorem ibi operis ſui partem abſolveret, quæ eſt eorum inſtructio, & cognitio veritatis. Per prædicationem convertit univerſum. Crederitis ne non communes miſericordiæ ſuæ actus totidem eſſe privilegia, quæ vobis reſervavit? E re cenſuit non alio uti adminiculo, quam verbo ſuo ad nationes convertendas. Vin illi irrogare legem, & eum cogere ad operanda prodigia, ut te tangat? Numquid expectas, ut recedat mare, ut olim, pro uno te? In tenebris jaces; offertur tibi lumen, quæ tibi monſtretur via; viſne igneam columnam olim populo Judæorum conceſſam? Non ſufficit tibi panis Filiis Dei communis, expectas ne, ut de cœlo pluat manna, quo guſtui fiat ſatis? *Idem.*

Quævis prædicatores nequiter viverent, divinũ verbum ab illis prolatum reveri debemus.

Sanctum, inquiunt, eſſe decet, qui prædicare velit. Multine hujus characteris inveniuntur? Prætextus non ſolum a ratione abhorrens, verum etiam irriſorius ad excuſandam ſuam in audiendo verbo Dei negligentiam. Concionator Sanctus eſſe debet: hoc ad illum pertinet, non autem vos excuſat. Vult Deus fortaſſe, ut converſionem veſtram debeatis homini indigno, qui ſuam obtineat, ut agnoſcatis, cui illam debetis, & nihil in partem accedere poſſe gloriæ cum gratia. Hæc lampas eſt, quæ vobis oſtendit viam, quam ſequi debetis quantumvis hanc vobis oſtendens ipſa abſumatur. Quia Architecti, qui Neoticam ædificarunt arcam, in illam ingreſſi non ſunt, ſed ipſis quoque fluctibus abſorpti perierunt, voluiſſetis ne eorum exemplum ſequi, & fugere diluvium in navi ab illis extructa, & quæ iiſdem non profuit? Stella eſt cadens, ut Scripturæ verbis utar, lumini illius debeo, ejuſque lapſum admiror. Vox quidem vox Jacob eſt, manus autem ſunt Eſau: Equidem ſcio, non eſſe illius per os ſuum Domini teſtamentum aſſumere qui de illius conqueritur audacia, ſi hoc facit, ſemper tamen hoc eſt teſtamentum ſuum. Deus gratiam ſuam tribuit cuicumque ille operæ pretium cenſuerit. Ambigitur, utrum Salomon egerit pœnitentiam: quot ſunt quibus ſcripta illius pœnitentiam ſuaſerint? Dubitatur, utrum Origenes fuerit hæreticus? nonne obſtitit, ne multi fierent tales? Non liquet, an Tertullianus obierit Catholicus. Volumina illius nonne in cauſa fuerunt, ut eruditi complures in eccleſiæ ſinu permanſerint, vel in illam fuerint ingreſſi? Sexcenta alia prætermittuntur exempla. At enim homo eſt, qui factis ſuis non concors eſt cum verbis ſuis: verum eſto, ſit ille tantum nequam, quantum tibi placuerit. Reciperesne Baptiſmum de manu illius, niſi recepiſſes illum, & ſi illum non recipiens in urgenti periculo ſitus eſſet? Igitur ex ſententia tua, non debet Heros in naufragio ſuo manum dare nautæ? Non decet illum remigi debere vitam, quam periculo liberavit? Rudis argumentatio, error bipalmaris, ut ita dicam, velle potius perire, quam quidpiam debere homini, qui infra nos poſitum arbitramur. Eſt Abrahæ nos de Ethnica religione erudire, tamen ipſe quoque fuit Ethnicus. Eſt Davidis nos contra divinæ legis violatores erudire, ipſe tamen illam perfregit. Eſt Petri in illos declamare, qui JESU CHRISTO abrenuntiant; ille tamen hunc negavit. Paulus nonne fuit perſecutor? Auguſtinus nonne fuit Manichæus? Inde ne ſequitur eorum documenta a nobis eſſe rejicienda? *Abbas Boileau.*

Inquiet fortaſſe aliquis, ſe ſatis eſſe Evangelicis imbutum veritatibus, ſe eas ſcire, quæ ſatis ſunt, ſe non indigere ſermonibus. Non agitur ſemper, ut erudiatur Chriſtianus, qui omnia penitus ignoraverit; hoc agitur, ut quiſque ſerio animum advertat ad ea, quæ non ignorat. Nathan fit primus Concionator Davidis. Rex hic melius norat peccatum a ſe commiſſum, quam Prophetam: tamen nihilo ſecius eguit, ut Nathan induſtri parabola ei diceret; tu ille vir es, quem punire vis. Sciebat Herodes inceſtum legibus omnibus vetitum eſſe, tamen Jo: Baptiſta dicit illi: Quod facis, tibi non licet. Cognoſcebant Phariſæi nequitiam, hypocriſim, & cordium ſuorum corruptionem; nihilominus Dei filius, ut melius illis aperiret iniquitatem ipſorum, dixit: Væ vobis ſepulchra dealbata &c. *Idem.*

Quomodo S. Paulus auditus fuerit ab aliquibus terræ Principibus.

Quid eſt Prædicatio? Eſt miniſterium JESU CHRISTI loquentis cum hominibus; ipſe eſt JESUS CHRISTUS illos monens, illis ſuas voluntates ſignificans, illis minas intentans, illos conſolans, illis viam rectam indigitans, illos erudiens. Concionatores vero illius ſunt organa, ſed ſæpe ſeſe cum illis gerit, ſicuti olim cum S. Paulo. Hic quater apud terræ principes locutus eſt. Primum in Areopagitarum Senatu, iterum coram inſigni magiſtratu, tertio coram præſtantiſſimo Prætore Provinciæ, demum coram Rege Agrippa. In Areopago cum voluptate exceptus fuit; cupiebant Athenienſes aliquid novi ſemper audire: ſed ex quo de extremo judicio, & mortuorum reſurrectione mentionem attigit, irridentes conclamarant, quid ſibi vult narrator hic fabularum? Eum Feſtus audiit, ſed animo cenſorio. Vix dixit Paulus tempus futurum, quo univerſus terrarum orbis faciem mutabit, cum Præſes ille inſipientem hunc judicavit: *Inſanis, Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Act. 26. Felix audiit illum cum oblectatione, immo etiam commotus fuit; idea divinæ majeſtatis illum perterruit, ſed ſtatim ſurrexit, ac dicentem interpellavit: *vade, tempore autem opportuno accerſam te.* Rex tandem Agrippa illum non irriſit, non cenſoria nota perſtrinxit, non interpellavit; totum illius ſermonem audivit, eodem commotus fuit; verum ſatis ei fuit triſtem hanc eidem gloriam tribuere: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri. Idem ibidem.*

Eſdras ſanctum librum manu tenens medius inter Sacerdotes, & Levitas vix os aperuit Legem interpretaturos, cujus ſermonem fere obliti fuerant, cum populus in terram procidit Deum adorans, eique benedicens. *Incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram*, 2. Eſd. 8. Omnium corda pietas tanta pervaſerat, omnium oculi manabant lacrymis, & qui ſeptuaginta ante eam diem annos non niſi præ mœrore ac dolore plorare conſueverant, tunc primum didicerunt, quid eſſet flere præ lætitia: *Flebant omnis populus.* Nullus inter illos rumor niſi ſuſpiria; talis tamen tantuſque erat, ut publicam attentionem turbaret, & Levitæ in omnem cætum effuſi tenerentur ſilentium indicere, & gemitus, lacrymaſque inhibere. *Levitæ ſilentium faciebant dicentes. Tacete, nolite flere.* Quodnam erat objectum attentionis adeo vividæ, & religioſæ? Eſdras Dei interpres, quem tamquam Deum ipſum audiebant. Libri Moyſis, quos tamquam ipſum Dei verbum reverebantur. Moyſes autem nequaquam mortuus erat, ut verbo ſuo accederet auctoritas. Hoc non ſubjecerat idolatras populos religionis jugo. Nos autem auditores lectiſſimi habemus Evangelium ſignatum ſanguine Dei victoris gentium infidelium, & barbarum. Hæc nobis effectu, quod in illis obtinuit, nobis oſtenderunt, quem effectum in nobis obtinere debeat, cum nobis coram ſacris altaribus prædicatur. Attamen ubi ſunt lacrymæ, quas fundimus, contritio, quæ cor noſtrum pervadit, fructus ipſe, quem referimus? *P. de la Rue in Quadrag.*

Deus quovis tempore ſuſcitavit concionatores vere Evangelicos.

Sæculis omnibus ſuſcitavit Dominus homines ſuo repletos Spiritu, qui ab Evangelicis ſermonibus proſcribentes oſtinationem ſcientiæ ſterilis, & inanis unice vacant reformandis moribus, & qui admirabili ſtudio explicuerunt omnia vitia ſecreta, in cordibus humanis latentia, quæ amor proprius tot operit integumentis, ne illos agnoſcentes erubeſcant, eoſque impugnare teneantur. Sed hi clam gemebant, cum videbant Auditores ſuos plaudere manibus, cum pectus ſuum tundere debebant in templis, quæ prorſus prophanis acclamationibus reſonabant, dum ſingultibus pœnitentiæ tinnire debuerant. Amor proprius, qui non aliud quærit, quam ſemet occupari, oblectatus eſt ſeipſum agnoſcere, & conſiderare in fidelibus ſpeculis præſtigiorum ſuorum, & imaginis ſuæ pulchritudinem admirari. Sed illum numquam puduit vitiorum. Cavete, Fideles, ne Deus diſtricte puniat ſui verbi contemptum. *Abbas du Jarry.*

De utilitate verbi Dei.

Non poſſet Deus religionem in puritate ſua ſartam, tectamque tueri, quin omnem prædicationis virtutem ſervaret; duo enim inconcuſſa fundamenta, per quæ religio ſubſiſtit, ſunt veritates, quas nobis revelavit, & leges, quas nobis præſcripſit. Quemadmodum autem impoſſibile eſt, ut Dei providentia deſerat eccleſiam, quin illis tribuat homines ſuo illuſtratos ſpiritu ad illam purgandam ab erroribus, quorum ignorantia, & humani ſpiritus ſuperbia puritatem doctrinæ illius adulterare poſſunt, ita hæc eadem providentia non minus tenetur eccleſiæ ſuppeditare homines plenos zelo legis, ut ſe opponant morum corruptioni, ut vitia ſæculi impugnent, ut omnes reforment abuſus, qui committuntur contra diſciplinæ regulam, ut inter tot veritatis præjudicia legiſque inobſervantias, ſemper certiſſimum habeant Canonem eorum, quæ ſunt a nobis credenda, & facienda, ut ſi minus hanc regulam omnes ſequuntur, poſſit tamen ſemper agnoſci, & ut religio vera, quæ in eo ſita eſt, ut ad unguem credamus, quod Deus revelavit, & diligenter obſervemus, quod juſſit, nulla in ſe labem patiatur. *Abbas du Jarry.*

Verbum, quod olim Apoſtoli Barbaris, ac Ethnicis prædicarunt, illud idem eſt, quod ex Concionatorum

rum

rum labiis auditur, quod invenit Idolorum cultores, & illos in cultores Dei veri convertit, quod peccatores perſtringit, eoſque contritos efficit, quod, ut verbo me expediam, atheos, & nefarios homines in prædeſtinatos, & Dei filios immutat. Quemadmodum vero verbum divinum eſt lumen eſſentiale, producens amorem æternum; hoc Dei verbum in ſecretiori ſpiritus parte parit illuſtrationes, accendit flammas, & ciat validas ſacraſque emotiones in pectoribus noſtris, quibus hæc excitantur ad amorem divinum, ex quo filiatio adoptiva procedit. Sicuti miſericordiarum Pater proferens verbum ſuum genuit filium ſuum, quod eſt verbum: ita hoc verbum caro factum per verbi ſui prædicationem, genuit filios Dei per adoptionem. Præterea quemadmodum per verbum divinum omnia facta ſunt, quod quidem eſt eſſentiale verbum Patris Æterni, ſicuti natura univerſa conſtituta fuit in jure ſuo, & inſignibus ornata prærogativis per verbum carnem factum, ita hoc ſenſibile verbum, quod a nobis Dei verbum vocatur, cum ſit viva imago Verbi æterni, potentiſſimum eſt medium, quo uti vult ſuprema Sapientia, ut nos ſtatuat in ſtatu prorſus divino, qui eſt gratia ipſius. *P. Antonius de S. Martino in libro, qui inſcribitur, Les Conduites de la Grace.*

Tria admirabilia dedit Deus per J.C. hominibus Spiritũ, corpus & verbũ ſuum.

Tria nos rapere debent in altiſſimam admirationem cogitationum, & conſiliorum divinæ erga nos bonitatis. Primum eſt, quod per JESUM CHRISTUM tradidit nobis ſpiritum ſuum, a quo corda noſtra dirigantur: *Per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Alterum eſt, quod Salvator ipſe nobis dedit corpus ſuum, quo animæ noſtræ nutriantur. *Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum.* Tertium eſt proprium Dei verbum, quod cum increatum ſit in ſinu Patris, & incarnatum in Humanitate, quam aſſumpſit in ſinu Virginis, cumque nobis eſſe voluerit ſimul Sacramentum, & ſacrificium in ara, voluit etiam ſe ipſum quotidie ſtatuere in ore Concionatorum, deferri ſe auribus noſtris, aditum invenire in corda noſtra, ibi poſiturus verba vitæ, germen adoptionis, ſemen Dei ad filios Dei producendos. *Idem.*

Sicut eccleſia in ortu ſuo fuit pauper ad extremum, & nihiloſecius in ſumma hac paupertate coli debuit, quod permiſit Deus, ne illius inſtitutio humano conſilio, opibuſque referretur accepta. Ita temporis decurſu locupletata non minus in altero hoc ſtatu colenda eſt, quam in priore, quandoquidem alioquin omni careret auctoritate, ac vi. Hoc ipſum accidit prædicandi ſcientiæ. Initio enim Concionatores rudes erant homines, ſed miraculorum donum habentes, quod illis conceſſit Deus, ut oſtenderet eccleſiam non eſſe conſtitutam effectu humanæ ſapientiæ, ſed ſola virtute Dominicæ crucis, ut S. Paulus inquit: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ut non evacuetur crux Chriſti.* Sed in eccleſiæ progreſſu, opus fuit doctoribus, vel diſertis oratoribus, quorum ſcientia miraculorum locum obtineret. Et ſicuti miraculis erat opus ad perſuadendam, & ad celebrandam Dei crucifixi potentiam, in eorum infirmitate, quos elegerat ad jacienda eccleſiæ fundamenta; verbum, & eloquentia ſucceſſit, ut erudiret, & perſuaderet; & hujus diſcriminis ratio inter eccleſiam, & eccleſiam, quæ initium duxit per ignorantiam, & incrementum obtinuit per doctrinam, eſt, quod religio Chriſtiana ſuperat rationem, & in eccleſiæ progreſſu non agitur de judicio de eadem ferendo, ſed de illa exercenda, & per perſuaſionem inferenda. Requiritur ergo in Concionatoribus eloquentia, & ſcientia; quæ valeat mentes noſtras lucrari eaſque Dei verbo dociles reddere. *P. Ant. de S. Mart. a Porta.*

Prodigium quod Dei verbũ quotidie operatur, & ejus efficacia.

Quemadmodum, ex S. Auguſtino, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ita hoc ipſum verbum accedit ad impura corda, & homines pudicos efficit; accedit ad corda impia, & homines Sanctos facit. Hos invenit in peccato, eoſque convertit ad Deum. Quemadmodum in Sacramentorum omnium auguſtiſſimo, verba hæc: *Hoc eſt corpus meum*, efficiunt panis in corpus, & vini in Sanguinem Filii Dei tranſubſtantiationem quia non Sacerdotis, ſed JESU CHRISTI verba ſunt, per Sacerdotem tamen prolata: ita Concionatores faciunt morales tranſubſtantiationes, ſed admirabiles; & antiquos peccatores in novos Dei ſervos convertunt. Quæ miracula verbum hoc non operatur! Cadit in cor David adulteri, & Regem efficit pœnitentem. Cadit in cor Magdalenæ, ibique idolum inveniens peccati in pœnitentiæ exemplar convertit. Cadit in Matthæum, & ex publicano facit Evangeliſtam. Vides in Templum ingredi animam mundum, & vanitatem adſpirantem; ſed templum ingreſſa, attentam aurem præſtat verbo Dei, ac ſtatim penetratur cœleſti lumine, quod efficit, ut agnoſcat ſtatum miſerum, in quo eſt. In hac agnitione videt turpitudinem ſuam: turpitudo gignit læſi numinis dolorem, dolor vero parit vitæ mutandæ conſilium. Quæ autem cauſa eſt hujus miraculi, niſi Dei Verbum? *Idem.*

Vis, & energia verbi Dei tanta eſt, ut jure omnipotens valeat nuncupari; *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* In ipſo nihilo invenit aures, quæ paratæ ſunt ad illud audiendum: *Vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.* Subegit univerſum, evertit cultum Idolorum, integras nationes convertit. Subjecit Reges, Sapientes, legislatores Evangelio; dicam amplius ſubjecit fidei noſtræ mundum univerſum; populi barbari, & feroces commoti ſunt, & conturbati. Denique divino huic verbo debemus mundi totius converſionem, & Idololatriæ everſionem: quæ omnia non ſinunt nos de illius potentia dubitare. *Idem.*

Quænam ſit cauſa fructus modici quẽ hoc divinum ſemẽ adfert.

Undenam fit, ut Dei verbum, quod eſt adeo potens, quod modo adeo vulgatum eſt, & cognitum, ut plurimæ fiant in oppidis, & in agris prædicationes, undenam inquam fit; ut inde modicus fructus percipiatur? Olim retibus capiebantur animæ: *Laxate retia veſtra in capturam;* hodierna autem die diceretis Evangelicos Piſcatores hamo tantum uti. Quidquid toto Adventus, vel etiam quadrageſimæ tempore acquirere Concionator poteſt, erit animas duas, vel tres, & fortaſſe nimis dixi. Poſt tot, tamque diſertos Sermones adeo modicus fructus, & tot videntur ſcelera, ut hoc mirum videatur. An prædicatio hodierno die eo pervaſit, ut quidem tantum ſit curioſitatis in auditoribus, quam in concionatoribus vanitatis? Verum ſi Concionatores hac in re nocentes ſunt, auditores ſane ſunt nocentiores, nam horum curioſitas cauſa eſt vanitatis eorum. Pro cauſa afferri poſſe videtur, homines nolle ſibi duplicis generis veritates prædicari, quarum aliæ quidem docent, aliæ vero corrigunt. Veritates, quæ docent, animatæ ſunt & perquiruntur, ſed quæ corrigunt, non videntur tolerabiles, & ſæculi hujus mortalibus non placent, ſicuti videmus in novo Teſtamento cum S. Joannes Baptiſta Herodem docet licet nequam, hunc tamen illi aures libenter præbere, *libenter eum audiebat.* Marc. 6. At ubi Præcurſor illi inceſtum exprobrat: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*, hanc correctionis veritatem ferre non poteſt, & hæc illa quidem eſt, quæ mundo non ſapit. Similiter cum Evangelicus præco detonat contra libidinem, libidinoſus illum non æquo patitur animo. Hoc igitur audientium vitium eſt, qui neceſſarias non afferunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum. *Idem.*

Audiendum, & ponderandum eſt Dei verbum, atque inde proficiendum: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Matth. 13. Divini hujus, humanorumque verborum diſcrimen patet. Quid auditis in foro, vel ante judicum ſubſellia, vel de cathedris, ubi de humanis ſcientiis diſſeritur? Hic ad vos non habetur ſermo de metato agello, de vinea, de uſufructu, hypotheca, Contractu, Teſtamento, ut coram judicibus agunt Cauſidici; non de pactis conventis, de fœnere, de connubio, aut de pace; ut Regum legati. Annuntiantur vobis æternæ veritates, de ſalute animarum veſtrarum, de pace cum Deo, & proximo, & vobis metipſis habenda, de myſteriis Redemptionis veſtræ, de Fide, & regno cœlorum, quo tendere debent omnes actiones veſtræ, & deſideria. *P. Antonius de S. Martino a Porta; & recens quidam.*

Prædicatoris officiũ æque ſublime eſt, ac illud Sacerdotis.

Concionatoris officium munus tantum eſt, ac tam ſublime, uti ſicuti nihil eſt in eccleſia adeo ſublime, ac Sacerdotium, ita nihil æque præſtans inveniatur ac Concionatoris officium. Sacerdotes Dei Filium producunt in ara: Concionatores producunt illum in cordibus noſtris. Illi propter ſanctiſſimum munus ſuum conjuncti eſſe debent cum J.C. & quodammodo cum illius perſona confuſi: hi hoc ipſum eſſe debent, & nos audire, ac revereri debemus Chriſtum Dominum in eorum perſonis loquentem: *Tamquam Chriſto exhortante per nos.* 2. Corinth. 5. Et ſicut aliqua intercedit ratio Sacerdotes inter, & Concionatores, ita quoque intercedit inter eos, qui corpus, & ſanguinem Filii Dei conſecrant, vel qui verbum ejus evulgant, & eos, qui illud audiunt, & quibus evulgatur. *Idem.*

Non minores afferendæ ſunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum, quam ad recipiendum ſacrum corpus Salvatoris in ſancta Synaxi: *Ad Evangelium, tamquam ad Chriſti corpus confugio:* ait S. Ignatius in epiſtola ad Philadelph. Sed ſi opus eſt ſe rite præparare ad audiendum divinum verbum, in ipſa concione

aures;

aures, menteſque intendendæ ſunt ad divinum hoc ſemen cum fructu recipiendum: quælibet enim prædicatio præparatio eſt, atque principium magnorum conſiliorum, quæ ab æterno cepit Deus, ut animas noſtras ad beatam perduceret æternitatem, & ſicut ſemen in ſeminali virtute ſua totam complectitur meſſem, ita concio una plerumque eſt ſemen magnarum illarum virtutum, quæ Sanctos fecerunt. Negligere igitur divinum verbum ex ore Concionatorum prolatum, hoc eſt adire periculum amittendi fructum propriæ ſalutis; quoniam juxta divinæ providentiæ conſilium divinum hoc ſemen nexum habet cum ordine, quem conſtituit Deus pro ſalute noſtra, ut ſi illi requiſitam mentis attentionem negemus, noſmet privemus gratiis, quas ad nos ſalvos faciendos Deus deſtinavit. *Idem*.

Una ex rationibus, propter quas modicum percipimus fructum ex Concionibus, Deique verbo: hæc eſt, quod menti noſtræ ſatis eſt ſimplex, ſteriliſque meditatio rerum generalium, quin has nobiſmet ipſi applicemus, quod nobis eſſet faciendum. Ad hunc reditum, & noſtri mali ad noſmet ipſos applicationem nos invitat Scriptura verbis iſtis: *Revertimini ad cor: Scito, & vide, quia amarum eſt, te dereliquiſſe Dominum*. Jerem. 2. Noverat quidem David ſe duo magna commiſiſſe peccata, Uriæ cædem, & adulterium cum Berſabea, ſed illa non noverat niſi in propoſitione generica, & confuſa, & ibi morabatur. Quamobrem Nathan ſciens magna ſibi opus eſſe prudentia, ut magno Regi illius ob oculos delicta poneret, uſus eſt ea parabola, quam nemo non didicit; cumque illi repreſentaſſet hominis inhumanitatem, qui non voti compos, eo quod alteri ovem unicam, quam tamquam ſeipſum diligebat, eripuerat, vitam quoque eidem abſtulit, ita callide ſuum conſilium, ſermonemque inſtituit, ut eo redegerit David, ut mortis ſententiam contra illum proferret, & diceret, *homo ille reus eſt mortis*. Hic loci illum præſtolabatur Propheta, eidem ſententiam ipſius applicaturus, eiſque dicturus, *Tu es ille vir*; tu in caput tuum hanc mortis ſententiam tuliſti. Quæ ubi facta fuit applicatio, Rex ait: *Peccavi Domino*. 2. Reg. 12. In hoc ſitu plerumque ſumus. Concionatorum redarguitiones tamquam parabolas accipimus vel tamquam pulchras imagines, ſed quis eſt ille, qui ex ſemet ipſo quærat; num ego ſum mortis reus? Duplex eſt veritatum genus, S. Auguſtinus inquit; alia veritas lumen eſt, quod illuminat, alia ignis eſt, qui comburit. Alia docet, alia redarguit. Unuſquiſque facile doctrinam recipit, ſed vult evitare correptionem, & probrum, ad quod avertendum correctionem ſibi renuit applicare. *Idem*.

Dei verbum ad animam nutriendam non eſt minus neceſſarium, quam panis materialis ad corpus nutriendum.

Panis verbi Evangelici cognitio eſt veritatum religionis Chriſtianæ fides & doctrinæ illius, & inſtitutorum ejus. Magna hæc inſtituta ex Concionatorum ore audire, ea in ſancti libri legere, eſt illa manducare. Ea ſibi repræſentare, jugiterque meditari, eſt ſeſe illis alere, ac roborare; eſt, ut ita dicam, in propriam ſubſtantiam convertere; & hæc omnia facere, via eſt ad habendum tot purum, & ſanctum, & charitate plenum in omnibus affectionibus ſuis: uſus enim hujus panis ſpiritualis, myſtici non minus neceſſarius eſt ad fovendam in nobis ſpiritualem animæ vitam, qualis uſus eſt panis materialis, quo quotidie veſcimur ad vitam corporis in nobis tuendam. Medicus uſus hujus ſpiritualis alimoniæ nos adeo infirmos efficit, ubi bellum indicendum eſt noſtris cupiditatibus, ac triumphus de inviſibilibus hoſtibus referendus: Modicus cœleſtis hujus pabuli uſus non reddit imbecillos, & languidos, ubi reſidendum eſt validis cupiditatum noſtrarum oppugnationibus; & in cauſa eſt, ut in ipſo ſtatim belli principio ſuperati, victique cadamus. *Modus recitandi Dominicam Orationem, & recens Auctor*.

Semper in eccleſia Dei plurimi viſi ſunt fungi munere prædicationis. Quis hodie numerare poſſet omnes adhortationes, ac Sermones, qui fiunt, in magnis urbibus una tantum in Quadrageſima? Quadrageſima vero abſoluta quam pauci videntur peccatores agere pœnitentiam? Nulla ferme videtur morum emendatio; eadem vitia ubique graſſantur; eadem ſemper peccata committuntur, nemo minus irreligioſus eſt, minus, quam ante impudicus. Unde hoc malum? Inde proculdubio, quod licet diſerti ſint ſermones, florentes, eruditione uberes, & nulla in re deficientes, tamen non ſunt charitate animati, neque amplius in illis invenitur divinus hic ardor, qui verbo dat efficientiam, & audientes inflammat. Neque ideo dixerim, Concionatores non incaleſcere, & de ſuggeſtu non detonare; ſed illis deeſt, quod deſideratur ad permovendos animos, & id præ ſe ferendum verum zelum honoris Dei, & ſalutis proximi. S. Petrus numquam didicerat artem eloquentiæ; norat ſolum piſcari, & ſarcire retia, nihilominus cum requievit ſuper illum Spiritus Domini in ſpeciem linguæ igneæ, tanto ardore, auctoritate, & vi cœpit prædicare, ut uno tantum Sermone tria animarum millia converterit; quin tamen extra ordinem declamaret, ſeque agitaret. Undenam fit, ut S. Franciſcus Aſſiſis, S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus, S. Antonius Patavinus quamplurimus peccatores converterint? niſi quod licet Sermones eorum ſimplices eſſent & ſine fuco; eorum tamen corda divini amoris igne æſtuabant. *Card. Bellarm. in Opuſc.*

Verbum Dei eſt verbum vitæ.

Dei verbum ſimile eſt plantis ſalutaribus, quarum virtutes non omnes agnoſcunt. Duo in prato deambulant; alter quidem promiſcue calcat herbam pedibus ſubſtratam, & nihil de eadem cogitat; alter vero inter calcatas herbas detegens quaſdam in medicinæ uſum peropportunas, has diligenter colligit, & aufert in morbis depellendis adhibendas. Ita ex duobus hominibus audientibus, vel legentibus verbum divinum alter pertranſit, quin ad lecta, auditaque animadvertat, cum interim alter attente ſingula conſiderat eaque ſuis neceſſitatibus applicat. Hoc autem illinc oritur; quod prior ille divini verbi pretium ignorat, poſterior autem agnoſcit omnes utilitates illi inhærentes, & inter ceteras immortalis vitæ donum illud ſervantibus promiſſum: *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*. Jo. 9. Quanta cura non ſervaretur herba, cujus uſus confert ſolum centum vitæ annos? Quanti ergo a nobis faciendum eſt J. C. verbum? Qua cura, & ſedulitate colligendum eſt? Quandoquidem uſus illius nobis æternam vitam certiſſime pollicetur. *Mortem non videbit in æternum*. *P. Segneri Tomo 3. Meditat.*

Cum J. C. promittit eos, qui verbum ſuum audierint, & ſervaverint; nequaquam morituros eſſe, non loquitur de fluxa hac, & perfunctiora morte, qua damnati ſimus, & quam ille ipſe pertulit. Promittit enim vitam novam poſt hanc, vitam beatam, vitam perfectam, & numquam defuturam. Evangelii ſui prævaricatores non hac vita vivent. Reſurgent quidem, ſed ut in ſingula monumenta in inferno ſeviſſimis torqueantur doloribus, quorum ſimiles mors eadem non parit. Secundo qui divini verbi pane nutritur, quodammodo ex hoc ipſo tempore æterna vita fruetur: inde enim haurit vim invictam, quæ animam ipſius reddit tamquam invulnerabilem telis peccati. *Fili mi ſerva mandata, & vives*. Prov. 7. Serva legem Chriſti Jeſu, & numquam ſupernaturalem gratiæ vitam amittes. Sed cum mors corporis proficiſci valeat vel ab infirmitate naturæ, vel fortuito, vel hoſtis vi, mors etiam animi ex ſimilibus principiis oriri poteſt. *Idem*.

Fructus quos recipit anima ex Dei verbo.

Mala quædam affectio in vobis interiorem hominem debilitat? Hunc ſæpius nutrit verbo J. C., & vos ſolidabit. In repentino verſaris periculo? In mentem revoca verbum Jeſu Chriſti, & hoc te ſuſtinebit. Tentator te laceſſit Spiritus? Præcinge te verbo Jeſu Chriſti, & hoc omnes illius conatus irritos facies. O quam efficax eſt verbum Dei! quam jucundum tibi eſſe debet! *Fili mi auſculta Sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: vita enim ſunt invenientibus ea* .... Prov. 4. *Idem*.

Ut ex divino verbo omnes percipiamus commoda illi inhærentia, illud in corde gerendum eſt, faciendum eſt ſermonum noſtrorum argumentum noſtriſque bonis operibus ſuſtinendum eſt. Primum cum Dei verbum altius cor noſtrum pervaſit, ſpiritus illud haud ægre meditatur; ubi opus ſit, memoria illud facile repetit, cum videlicet adſunt peccandi occaſiones: *In corde meo abſcondi eloquia tua*, dicebat David. Pſalm. 118. *ut non peccem tibi*. Secundo verbum Dei locum habere debet in ſermonibus noſtris, ut aliis oſtendamus, & aliis inſtillemus, quo in honore a nobis habeatur. Ignavi ſolum, & infirmi ſe pro illo ſtare erubeſcunt, qui ſane merentur per pudendam hanc verecundiam, ut illis, ubi opus eſſet, deficeret. Quid nobis in hac re præſtandum eſt ſuper ea, quæ Rex Propheta de ſe ipſo teſtatur Pſal. 118. *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia juſtitiæ tuæ*. Sed tertio loco maxime neceſſe eſt divinum ſuſtinere verbum operibus noſtris: videlicet illud in praxim redigere, illi omnem vitæ rationem conformare. *Levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in juſtificationibus*, Pſalm. 118. *Idem*.

Ad examen revoca, qua cura utaris verbo Domini in tribus hiſce modis. Fortaſſe aliquam nanſciceris difficultatem; ſed ſi hinc te difficultas terret, inde fructus debet te inflammare. Hæc ſunt *verba vitæ æternæ* Jo. 6.

Joan. 6. Quid igitur eſſet, negligeres illa? Sicuti ſunt verba vitæ obſervantibus ea, verba ſunt mortis negligentibus illa. Verbum tuum, Domine, pars eſt pretioſa hæreditatis, quam nobis in terra reliquiſti: meum eſt illa frui, & jugiter inde robor accipere, quo in vitæ hujus peregrinatione indigeo. Undenam ergo nullo mihi eſt in diſcrimine divinum hoc pabulum? Virtutem illius numquid ignoro, an contemno? Qua cura perquirerem alimoniam, quæ hic in terris dies meos eſſet productura? Numquid nihili facio vitam gratiæ, quam divini verbi uſus mihi tueri poteſt, vel reſtituere? Numquid nihili pendo glorioſam immortalitatem, cujus verbi divini uſus in me germen eſt? *Idem*.

Bonum, quod verbum divinum nobis procurat.

Si me debilitatum ſentio, in verbo tuo robur invenio; ſi mihi periculum imminet, in illo celerem opem reperio; ſi me obſident ſalutis meæ inimici, illud mihi eſt certiſſimum præſidium. Ex hoc igitur tempore divinum hoc verbum guſtabo, & erit illud meæ deliciæ. Deferam illud indeſinenter in mente, & corde, ut illud mihi præſto ſit, ubi opus fuerit. Hoc erit ſermonum meorum argumentum, ut oſtendam, quam ſit mihi jucundum, & ut ejus amorem aliis etiam inſpirem, atque hunc in meis operibus exprimam, ut illius praxim aliis etiam commendem. Tunc Salvator mi, verbum tuum erit mihi vitæ verbum. Sed adhuc opus eſt, ut per gratiam tuam iterum mihi in corde loquaris. Fac id, Domine, quæſo. Sed fac tanta vi, & ſuavitate, ut tibi ultra reſiſtere nequeam. *Idem*.

Suſcitavit Dominus hoc ſæculo homines Spiritu ſuo repletos, qui ab Evangelicis ſermonibus aridæ, jejunæque ſcientiæ oſtentationem ſubmoventes, unice ſeſe abdiderunt reformationi morum, & mira cura evolverunt inania hæc ſecreta, quæ amor proprius tot celat integumentis, ut evitet verecundiam illorum cognoſcendorum, & impugnandorum laborem. Sed clanculum gemunt, ubi vident auditores ſuos plaudere manibus, dum pectus ſuum tundere deberent, in templis quæ prorſus mundanis acclamationibus polluerunt, cum pœnitentiæ tantum ſingultibus perſonare deberent. Amor proprius, qui ſibi uni blandiri cupit, gaudet ſe ipſum in fideliſſimis ſpeculis ſuas artes inſpicere, admirari pulchritudinem immaginis ſuæ, ſed non putet illum vitii. Heu! Cavete ne Deus diſtincte puniat verbi ſui contemptum. *Abbas du Jarry in diem Cinerum*.

Magnum diſcrimen inter duos Evangelii præcones.

Opus eſt, ut vobis tanquam in Tabula exhibeam duos longe diſſimiles Concionatores; alterum, cujus eloquentia prorſus erat profana; alterum, cujus ſermones ſancti erant, atque Chriſtiani. Initio ducam a priori. Sermo illius floſculis rhetoricis plenus erat, nullum prætermiſerat lenocinium, quod commendare poſſet ſermonem ſuum, & compoſitionem, & quæcumque ornamenta, quæ oratori in mentem occurrere poſſunt, erant in ſermone illius in ordinem miro artificio diſpoſita. Schemata præter propter ſecundum regulas erant collocata; materia inflata erat quampluribus locis communibus, Locutiones omnes erant magnificæ, & omnia recentia vocabula delectam habebant ſedem, & pulchre renitebant. Exteriori huic apparatui reſpondebat dignitas geſtus, & actio Concionatoris. Venuſta erat pronuntiatio, & dicere poſſumus eloquentiam, corporis totius, ac oris elegantiam concomitatam fuiſſe. Attentiſſimus fui ad ea, quæ dicebat. Plurima valde bona protulit, ſed nihil eorum moverunt me, & animadverti, concione tota neminem fuiſſe commotum, & omnia illius tela adeo accurate contorta leviter perſtrinxiſſe extimam animæ ſuperficiem, ſed non admodum adſtantium corda penetraſſe. Omnes iſti conatus, & torrentes eloquentiæ ſonitus inſtar pertranſierunt, & qui ſecum ubertatem adferrent, & lacrymarum fluvios excuterent, poſt ſe, ut ita dicam, inanem tantummodo ſpumam reliquerunt. Quemadmodum quæcumque ex morali diſciplina attingebant, ex labiorum dumtaxat ambitu proficiſcebantur, non autem ex corde, & plus ingenii, qua roboris habebant: ita non proceſſerunt ultra auriculas audientium, cor vero ipſum penetrare non potuerunt. Longe aliter accidit alteri Concionatori. Verba illis vivida fuerunt, & efficacia; cumque proficiſceretur ex cordis ipſius abundantia animas maxime induratas confoderunt, & amariſſimas lacrymas elicuerunt. Animadverti illum cum audacia fuiſſe concionatum, ſed audacia, cui adjuncta erat ſapientia, atque prudentia. Vis ſermonis illius erat mitigata; Pulchritudine modeſta, & ornamenta non permiſſa tantum, bonique exempli, ſed ea quoque, quæ ſunt neceſſaria, ſine ulla profuſione erant adhibita. Ratio loquendi licet non eſſet adeo elegans, ut in altero, erat tamen admodum nobilis, & verborum proprietas: quæ perfecte argumentum ſuum exprimebat, optime ſervabatur. *Recens auctor*.

Mundi Salvator ſæpe obrutus fuit multitudine, quæ illum premebat, ſermones illius auditura: *Cum turbæ irruerent in JESUM, ut audirent verbum Dei*. Quæ res damnat modicam curam, quæ nobis eſt audiendi divini hujus verbi, quod, ut ipſa veritas inquit, eſt hominis alimentum: *Non ex ſolo pane vivit homo: ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei*. S. Chryſoſtomus mirum in modum ait, Dei verbum eſſe univerſale ſubſidium omnibus neceſſitatibus noſtris, & generale remedium omnibus infirmitatibus noſtris. Verſamur in tenebris? nos illuminat. Aberravimus? nos reducit in viam. Triſtes ſumus? nos conſolatur. Cecidimus? nos attollit. Qui igitur negligit illud, ſe ipſum omni privat ſubſidio; neque mirum eſſe debet, ſi tot languent Chriſtiani; quoniam negligunt divino hoc ali verbo, quod illis præberet vires ad conſtanter ſuſtinendas omnes tribulationes, quæ illos turbare poſſent in variis occaſionibus, quibus in miſerabili hoc exilio poſſumus agitari. Mirari non debemus, ſi dæmon de tot animabus triumphat; quandoquidem non confugimus ad divinum hoc verbum, quod nobis ſuppeditaret arma, ad repellendos omnes callidi, & crudelis inimici incurſus. *Tourneaux in Aventu Chriſtiano Tomo 8.*

Non præſtare aures verbo Dei, eſt fugere lumé, quod noſtræ converſioni prodeſſe poteſt.

Qui fugiunt veritatem, & hoc pacto oſtendunt, quanto eamdem habeant in odio, hi ſunt, qui Dei verbum libenter non audiunt propter rationem, quam ipſe Salvator memorat in Evangelio. Qui peccat, odit lucem, ne ſcelerum ſuorum rubore ſuffundatur. Veritas, quam ſecum fert verbum Concionatoris, lumen eſt, quod ſeſe effundens in animam peccatoris jampridem in voluptatibus ſuis conſepulti totum illius horrorem detegit. Viſio hæc illius requiem perturbat, & hæc turbatio ciet in illo odium veritatis. Lumen triſte, & importunum, quod illis aperit, quidquid ſemper impedimento fuerat, ne videret. Hoc bona fide fateamur. Odium veritatis, quam rimemus, ſæpe prohibet, ne aſſidue concionibus adſimus. Alias plures rationes adferimus; ſed hæc vera eſt. Ille ſibi plura eſſe inquit negotia; hæc tamen vera cauſa non eſt, ſed quia nimis multas exercuit injuſtitias, ac timet, ut ſibi audienda ſit concio de de reſtitutione. Iſte ait, paucos a ſe inveniri Concionatores, qui ſibi placeant, quod non innuit a ſe inveniri non poſſe id genus oratores: ſed timet, ut inveniat eos, qui illum excitent ex ſopore ſuo, & cieant ſtimulos, quos ægre jugulavit. Sed quinam eſt hujus facti ratio! Quid inde intendimus! Si nobis eſt intentio claudendi oculos, ut audacius noſmet in periculum conjiciamus, morituri uti vivimus, indurati, & impœnitentes, cumque mors noſtra eſſe nequeat niſi echo infamis vitæ noſtræ, ſequitur finem noſtrum non niſi calamitoſiſſimum eſſe poſſe. Quid in hoc efficere poteſt Concionator, niſi lacrymis proſequi deſperationem adeo damnabilem? Sed ſi quæ ſuperſunt adhuc ſalutis cogitationes, ſi quod nobis adhuc ſupereſt deſiderium, niſi illi abrenuntiavimus, fatendum eſt ex ſubmiſſione noſtra divino huic verbo, quod fugimus, quod timemus, cui oculos claudimus, pendere ſalutem, quam ſperamus. Libenter ergo audiamus verbum divinum, ut vim faciat in mente noſtra, & in corde; inde enim noſtra pendet converſio. Hoc pacto fieri debet in nobis hæc mutatio noſtrum metipſorum erga Deum, quæ una efficere poteſt, ut ille ſententiam mutet prolatam adverſum divini ſui luminis inimicos. *Sermones, & inſtructiones P. Aurelianenſis Tomo 1.*